

4413
7 R5
py 1

PA 4413
A7 R5
Copy 1

DE

ANTIGONES ET ISMENES SORORUM MYTHO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM MARBURGENSIVM
ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXIX. MENSIS MARTII A. MDCCCLXXIII


PUBLICE DEFENDET

EDLERUS CAROLUS FRIDERICUS REUSS
SOLITARIENSIS.

MARBURGI-CATTORUM.

TYPIS N. G. ELWERTI TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCLXXIII.



PA 4413
A7R5

Carolo Julio Caesar

Phil. D^ri Philol. et Eloq. P. P. O.

Leopoldo Schmidt


Phil. D^ri Philol. P. P. O.

praeceptoribus

has studiorum primitias

d. d. d.

auctor.



Gentis graecae mythis indagandis qui operam dare vult, maximos fructus tum percipere potest, quum in diversorum poetarum operibus, quae variae eorum exstent formae, an quisiverit; nam hoc modo perspicere licet, quae genuina eorum fuerit propriaque indoles, simulque, cur insequens aetas in ea forma non substiterit, sed poetae alii alio modo eam immutaverint. Ac nemo nescit, eorum primordia, quae prima illius gentis aetate efflorescebant, nova veste, ut ita dicam induita esse temporum serie cum in poetarum lyricorum carminibus, tum potissimum in tragicorum fabulis, quae etsi priorem mythorum vim ac naturam plerumque redoleant, tamen exteriorem eorum formam novis iisque summi momenti additamentis auctam ac magis magisque perfectam et limatam exhibent. Quod ne mirearis caveas, sunt enim omnino diversae diversorum poetarum in mythis tractandis rationes, aliae poetae epici, aliae lyrici, aliae tragici; nec potest non conspici haec diversitas in mythorum conformatione, quae, ut rei natura fert, in primo poesis aevo minus concinna est, quam in posteriore, quo ars tragica floruit. Atque huic imprimis generi poeseos lex innata est, ut mythos normis suis prorsus strictis ac nullo modo spernendis accommodet, et ab uno principio, quod tamquam nodum omnes minoris ponderis actiones dissolvunt et expedient, totum rerum nexum pendentem faciat. Nostrum vero est, qui de istorum poetarum consiliis in his imprimis mutationibus spectandis agere velimus, anquirere, quae fuerint incunabula mythorum, unde enascebantur laetissimi cantus tragici fructus, inque perlustrandis poetarum

tragicorum propriis summum compositionum consilium indagare; quod quum perdifficile sit, tamen vel maximam exhibet voluptatem, atque ob id ipsum omnes omnium temporum viros doctos, hunc laborem ut subirent, excitavit, inflammavit, instimulavit. Atque effecerunt ipsa haec studia, ut materiae, quae ob naturam suam paulo obscuriorum — juvat in animum revocare, quanta detrimenta acceperimus operum ab illis poetis confectorum — solis fere conjecturis nobis explanandae sunt, paulatim in lucem clariorem perducerentur, eaque, quae primo obtutu omnino non refici posse viderentur, eo modo restituerentur, per quem liceat cognoscere, qui fuerit connexus singularum rerum fabulis comprehensarum, neque minus intellegere, quibus laudibus singuli poetae ornandi sint in disponenda materia, vel quibus vitiis uniuscujusque mythorum compositio laboraverit. Multa tamen restare, quae nondum ea, qua par est, sedulitate pertractata sint, uberrimamque nobis commentandi materiam praebeant, non miraberis, modo immensum hujus campi circuitum tecum reputaveris, quem nullo unquam pacto quisquam emetiri poterit.

Quae quum ita essent, haud inutile fore mihi videbatur in Thebanorum mythos, qui Labdacidarum fata celebrant, studia conferre. Cui mythorum parti ut operam darem, commovit me illud, quod summa semper cum delectatione praeciarissimas illas tres Sophoclis fabulas iterum iterumque lectitans tristissima hujus stirpis fata diuturna animi consideratione perpendi; vel maxime autem Schneidewini, viri doctissimi, commentatio: Die Sage von Oedipus, quam publice prodire jussit Gottingae anno hujus saeculi LII, me compulit, ut simile argumentum ex eodem mythorum orbe desumptum pertractare susciperem. Antigones enim et Ismenes sororum mythus non ita videtur investigatus esse, ut omnibus satisfacere possit; Welckerus quidem In libro, cui inscripsit: Der epische Cyclus II. 357 sq. et Schneidewinus in praefatione editioni Sophocleae Antigones praemissa pauca de varia sororum in poematis graecis condicione disseruerunt, neque vero ea, quae constituerunt, omnes dubitationes mihi re-

moverunt, num, quae contenderent, vera essent, nec ne. Atque ut Boeckhii verbis utar (graec. trag. princ. p. 24): »Neque tamen secure in vulgata opinione acquiescendum, sed, quae omnis critices natura est, perpetua dubitationum et cautelarum series nectenda erit; sic veritatem nisi plane assequemur, at certe spectare nobis ex longinquo licebit«, videntur ea nimirum in illorum virorum de sororum mytho sententias cadere, in quibus omnes fere ad hoc usque tempus acchieverunt: quam incuriam non recte adhibitam esse equidem ratus, pertractare decrevi universas quae exstant mythi formas ab ea inde aetate, qua carmina epica florebant, usque ad posteriora tempora, quibus Euripidis musa tragica ei operam dedit.

Caput I.

De sororum condicione, qualis fuisse putanda est in carminibus Graecorum epicis.

Primum igitur quemadmodum epica Graecorum carmina Antigones et Ismenes fata celebraverint, ex instituenda ratione paulo latius pertractandum est. Sed quum tria ejus generis poemata, quae de hac materia composita erant, Oedipodia, Thebais, Epigoni, mala quadam sorte nobis non servata sint, ex aliis poetis, qui de eodem argumento egerunt et ex illis carminibus hausisse materiam videntur, summa lineamenta mythorum exstruamus oportet. In qua quaestione disceptanda summi momenti auctor et dux quasi Homerus est; nam viguit is poeta eo tempore, quod proxime accedit ad illorum carminum aetatem; et quum epicis carminis propria indoles posceret, ut spreta ea, quam poeta tragicus assequi debet, concinnitatis laude omnes flores fructusque decerperet, quos in regionibus suis suaviter perambulandis invenit, huc illuc, si qua dabatur occasio, in priorum heroum fatis, stirpe, regno celebrandis moratus est.

Qui de Thebanorum mythis agunt loci, complures reperiuntur et in Iliade et in Odyssea; omnes vero gravitate superatis locus, qui exstat in Od. l. XI. vss. 271—279, ubi Ulixes, qui Tiresiam vatem consulturus in orcum descenderat, heroum heroidumque, quos ibi vidit, manes cummemorat, atque inter illos Epicasten, pulchram Oedipi matrem conjugemque, cuius fata tristissima nonnullis verbis in transcurso depingit. Narrat enim Ulixes, insciam hanc Thebarum reginam Oedipo filio nupsisse, quod stuprum dii statim post confectas nuptias patet fecissent. Neque Epicasten longius vitae spatium degisse, sed maerore et sui taedio imbutam ipsam mortem sibi consivisse; Oedipum contra multos annos Thebarum regnum obtinuisse non sine magnis doloribus, quos deorum perniciosa consilia matrisque erinyes ei peperissent. — In dubio relinquit poeta, num quatuor illi liberi ei ex Epicaste orti sint, an ex alia eos Oedipus procrearit, at primum, quod posui, Epicasten eorum matrem fuisse, haud veri simile esse sequitur ex verbis vs. 273:

ἄγαρ δ' ἀνάπνυτα θεοὶ θέσαν ἀνθρώπουσιν.

Nam si statim dii crimen aperuerunt, vix probabile reddere quisquam potest, quatuor liberos ab Epicaste natos fuisse, priusquam libera morte e vita decederet, neque silentio videtur obruenda oppositio, quae inest in his duobus enuntiatis: *αλλ' δι μὲν ἐν Θήβῃ . . . ἥρηξε* et: *ἡ δὲ οὐρανὸς Αἴδαο,* quorum altero longius post nuptias vitae spatium Oedipo tribui, ex altero vero Epicastes vitam post eas non vitalem brevissimamque sequi, inde concludi potest, quod haud inconsulte poeta tempora verborum *ἥρηξε* et *οὐρανὸς* diversa posuit. At possit aliquis contradicere, cur omnino necesse sit, ut statuamus, liberos Oedipo tributos esse jam in ea fabulae forma, qualem *Νεκυίας* poetam ante oculos habuisse consentaneum sit, quum Ulixis narratio nullam eorum mentionem faciat; cur non potius statuamus, ultimam vitae partem ab infelice rege, quum longe miserrimum conjugium expertus esset, per caelibatum et orbitatem absuntam esse? Sed exstant nonnulla, quae quominus id statuamus pro-

hibeant; namque in omnibus, quae postea extiterunt, hujas mythi formis liberi illi enumerantur, nec possunt primae huic fabulae abnegari; certe qui eos non extitisse censem, is simul universae mythi indoli gravissimum detrahatur momentum oportet. Arctissime enim ii conjuncti sunt cum natura mythi obducti, ut ita dicam, asperitate quadam et ferocitate, quae vis nescio animis minuatur, si negamus, Oedipum liberos progenies. Confirmatur ea opinio eo, quod in Cinaethonis Oedipodia rex ille post infelicem Epicastae obitum Euryganeam, Hyperphantis, Phlegyarum regis, filiam, in matrimonium duxisse et ex illa quatuor liberos genuisse traditur, id quod Pausanias testatur in l. IX, 5, 10—11. Ac satis mirum profecto esset, quum ex hoc certissimo testimonio Oedipodia narraverit, liberos ab Euryganea oriundos fuisse, si statuere vellemus, Oedipum, qualis in Odyssea describitur, sine liberis atque conjugi reliquam vitam egisse, ita ut in re haud dubie gravissima duo poemata epica, quae temporis intervallo haud ita longo composita esse videntur, in diversas partes discessissent. Quod quominus statuamus jam prohibet ipsa carminis epici indoles, quae in ejusmodi summae gravitatis rebus a diversis partibus poetas stare, nullo pacto sinit; neconon signa, quae concentum utriusque carminis indicent, sub Ulixis verbis latent, quum verbis:

τῷ δ' ἄλγεα κάλλιφ' ὀπίσσω

πολλὰ μάλ, ὅσσα τε μητρὸς ερινύες ἐκτελέονται

satis perspicue dolores significari, quos senex Oedipus a filiis suis perpessus sit, non injuria Welckerus ep. Cycl. II, 323 et Schneidewinus in commentatione jam saepius laudata pag. 6 conjectisse videantur. -- Ex Euryganea igitur, carmina epica si sequimur, Antigone et Ismene originem duxerunt.

Iam ad aliam rem expediendam animum conferamus necesse est; indagandum enim, quae gravitas sororibus in carminibus epicis tributa sit, quam quaestionem Welckerus in constituendo Thebaidis argumento (ep. Cycl. II, 357) ita dissolvit: »Ohne alle Bedeutung in der Sage müssten beide Schwestern nicht gewesen

sein, da sonst die Odyssee¹⁾(?) wol nicht ihre Namen neben den Brüdern nennen würde». Ad quam rem fulciendam affert locum depromtum ex argumento ad Sophoclis Antigonem a Sallustio nescio quo scholiasta confecto, quo ille grammaticus fabellam nobiscum communicat haustum ex Minermo, Ismenen, quum Theoclymeni cujusdam consuetudine et familiaritate uteretur, a Tydeo interfactam esse. Veri haud dissimile putat iste vir doctissimus esse, hanc fabellam, quum optime generis epicis indoli respondeat, a Mimnermo ex Thebaide cyclica haustum esse. Mihi vero hoc negandum videtur, quod cur faciam, infra latius exponam, quin ad tractandum illud Mimnermi fragmentum res pervenerit. Poterunt tamen, quae ab illo viro de sororum in carminibus epicis auctoritate prolata sunt, nihilominus probari, licet sint falsa, quibus sententiam stabilire conatus est. Ad quam rem demonstrandam juvabit Pausaniae quandam locum in certamen vocare, quo demonstratum iri spero, quomodo quaestio dissolvi queat. Exstant enim in hujus scriptoris l. IX, quo uberrimam de veteris Boeotiae et urbibus et regionibus et historia et mythis materiam congessit, cap. 25, §. 2 haecce verba: *καλεῖται δὲ ὁ σύμπας οὗτος τόπος Σύρμα Ἀντιγόνης ὡς γὰρ οὖν τοῦ Πολυνείκους ἄρασθαι οἱ προθυμούμενοι νεκρὸν οὐδεμίᾳ ἐφαίνετο δραστώη, δεύτερα ἐπενόησεν Ἐλκειν αὐτὸν, ἐξ οὐκέτης τε καὶ ἐπέβαλεν ἐπὶ τοῦ Ἐτεοκλέους ἐξημμένην τὴν πυράν.* — Quae verba si sequimur in restituenda ea, cui Antigone inserta fuit, mythi parte, hancce fere habes ejus formam: Argivorum, qui cum Polynice Thebarum urbem aggressi erant, exercitu fugato septemque heroibus occisis, Thebani ante omnia id curasse videntur, ut justas Eteoclis regis exequias celebrarent dignasque ejus meritis. Neque tamen in hoc funere rite perpetrando pium Antigonae sororis officium substitit, sed alterius fratris multo infelioris amore percussa foedum ejus corpus ad propinquum Eteoclis rogum traxit ignique comburendum dedit.

1) Sine dubio Welckerus hic scribere voluit: Oedipodee.

Quaeritur vero, num isti Pausaniae loco ea fides habenda sit, quae, ut aliam atque viri docti de Antigonae in poesi epica condicione sententiam proferamus, vere ac recte nos compellere debeat; quam quaestionem quum satis difficilem esse explanatu jam inte suspicari possimus, quod nullus unquam vir hunc locum ad assequendum eum finem, quem mihi proposui, adhibuit, accuratissima cura omnia mihi erunt examinanda et ponderanda quae consilio inservire videantur; neque despero fore, ut aliquantulum in re proposita proficiam. — Per antiquam hanc fabulam esse, statim inde elucet, quod diversissime ab omnium posterioris aetatis poetarum rationibus hujus fabulae compositio instituta est. Sine dubio enim in prima, quam carmina epica ipsiusque populi narrationes referebant, mythi forma, qui de fratrum bello agebat, illud infuit, ut Eteoclis et Polynicis corpora uno igne comburerentur; quod ne ad sententiam meam conformasse videar, locum appono ejusdem Pausaniae l. IX, 18, 3., ubi periegeta narrat, Thebanos usque ad suum tempus fratribus illis sacrificare consuevisse; quae sacra eam ob causam annotatu digna sibi visa esse, quod semper et funus et ignis in duas partes se dividisset, quasi fratrum discidium ne morte quidem interrumpi dii significare voluissent. Ex his ut jam colligam, quae colligi posse videntur: non possunt haec sacra instituta esse nisi remotioribus temporibus, quum tales deorum sive heroum cultus, qui vel aptissimi sunt retinendis in memoria posteriorum certis rebus, omnino veterrimorum hominum religiositati attribuendos esse, inter omnes constet. Nam unus quisque populus quum primum adolevit, minus anxie deorum potentiam respicit, quam antecedentibus temporibus, quibus in omnibus vitae condicionibus, vel maxime autem in calamitatibus, eos sibi benevolos reddere omni modo studebat; igitur ante ejus adolescentiam ponenda est omnis et rituum et sacrorum institutorum multitudo inventa aut ad expiandam deorum iram, aut ad celebrandam eorundem in se benevolentiam. Quod si verum esse non negas, rursus non poteris non mihi

assentiri, causam quoque, ob quam ista sacra fiebant, antiquissimis temporibus innotuisse²⁾ carminaque epica eam retulisse.

Potes tamen, etsi me ea omnia recte conclusisse concedas, in eo offendere, quod Antigonem istum, quem dixi, laborem suscipientem facio in perpetrando funere, id quod omnes recentiores viri docti virginis abjudicarunt, qui ita rem explicasse sibi visi sunt, ut a Pausania veterrima cum Euripidis poetae inventis quibusdam in unum corpus conglutinata esse statuerent³⁾. Perperam hoc statuisse videntur, neque ullum, quo sententias comprobarent, argumentum in medium protulerunt. Atque ut omittam, me nescire, in quanam Euripidis fabula iste Antigones conatus tractatus sit, equidem nihil probabilitatis istorum virorum sententiam habere censeo, nam ullo modo fieri potuisse nego, ut regio illa nomen traheret a fabula, quae conglutinata esset et ex veterioris fabulae partibus et ex Euripideis inventis. Et enim cadit in eiusmodi locorum significationes eadem, quam supra observavimus, lex; nam consuetudo locorum cognomina ex mythorum orbe desumiendi exstat non nisi remotissimis populorum aetatibus, ac maxime ea aetate, qua universi populi vis poetica excitata et inflammata epicis rhapsodorum carminibus ita majorum facta fataque tradit, ut locorum et regionum significationes ex nominibus hominum fama carminibusque insignium deducat. Cujus usus tot tamque praestantia exempla ex cuiuslibet populi historia et mythologia praesto sunt, ut inanem laborem iste suscepturus sit, qui notissimam rem exemplis undecunque allatis illustrare velit. Porro ipsa scriptoris, ex quo ille locus desumtus est, ratio conficiendorum librorum, qua plane priorum periegetarum vestigia pressit, prohibere videtur, quominus tale quid statuamus. Erat enim eorum mos, ut varias

2) Nitzschius quidem in libro: Die Sagenpoesie der Griechen, 93, statuit jam in carminibus epicis Polynici funus abnegatum fuisse, at vix poterit haec sententia comprobari neque ullam causam, cur hoc statueret, vir doctus attulit.

3) De qua sententia cf. Schneidewin, praef. ad Ant. Soph. p. 6.

regiones pervagarentur, omniaque memoria digna, quae aut ipsi viderent, aut ex aliorum hominum consuetudine et usu comparent, in librorum, quos de itineribus condere voluerunt, circuitum cogerent. Exhibit igitur horum *περιγγηστῶν* scripta praeter multa alia, quae singularum terrarum descriptiones respiciunt, historica quoque et mythologica argumenta fere semper ex vivo hominum sermone hausta, neque parvi ob id ipsum sunt momenti, quum persaepe res ab iis commenorentur, quarum nulla ab aliis scriptoribus mentio facta est; quae quidem res persaepe obscuratae sunt perpetua traditione, attamen semper veri vestigia continent, quae nobis enucleanda sunt. Quam rationem Pausaniam obsecutum esse, si mente computamus, vix credibile est, eos homines, ex quorum ore hanc fabellam accepit, Boeotos, homines vulgares omnisque fere cultus humanioris ignaros, eam tragediae Atheniensis notitiam habuisse, ut statim, unde vetus nomen *Σύκωα Ἀρτιγόνης* derivandum sit, Euripidei alicujus dramatis reminiserentur. Fuit potius res ita comparata, ut ab eo inde tempore, quo vivida adolescentis populi Graeci vis ingenii omnimodis rationibus amplexabatur clarorum heroum heroidumque fata, istud nomen, quodque arctissimo ab ipso pendebat nexu, Antigones factum a patre ad filium perpetua quasi hereditate traderentur, ex quo fonte Pausanias istud hausisse putandus est. Ac ne illud quidem, quod quis mihi objicere potest, Pausaniam, quum nomen illud ab accolis regionis audivisset, id explicaturum veterem fabulam novumque Euripidis additamentum inter se commiscuisse, eam habet vim, quae prolatam sententiam infirmet; nam praeterquam quod satis artificiosa esset explicatio, tota illius capitinis condicio contra eam pugnat, cuius indole satis demonstratur, audita modo ibi referri, nihil ab ipso scriptore esse inventum, quum semper eundem oratio habeat tenorem, ac nullum indicium in praesto sit, quo illa suspicio firmetur.

Gravissimam vero offenditionem, quae nos in hac vulgata opinione acquiescere nullo pacto sinit, elicienda est ex vocabuli,

qua hic Pausanias utitur: »σύρματος« notione. Habet enim in universum eam vim, ut sit: »quod trahitur«; sed in angustiores fines posteriore tempore genuinam ejus notionem inclusam esse, ita ut sit: »vestis longa« qua imprimis choreutae vel actores in theatro induiti erant, ex scriptorum hac in re disceptanda gravissimorum locis quibusdam colligere possumus. In Pollucis enim Onom. VII, 67 haec de isto verbo annotata sunt: *σύρμα τραγικόν ἔστιν φόρημα ἐπισυρόμενον*. Quam novam notionem ut illud verbum acciperet, fortasse ipse Aeschylus effecit, id quod indicare videntur verba grammatici alicujus in lucem prodita in Crameri anecd. Paris I, 19: *Εἰ μὲν δὴ πάντα τις Αἰσχύλῳ βούλεται τὰ περὶ τὴν σκηνὴν εὑρήματα προσνέμειν σύρματα καὶ καλύπτοι*, quibus verbis nimirum ista, quam constituimus *σύρματος* notio affirmatur, deinde vero conjectuae quosque, quam modo proposui, aliqua probabilitas affertur, quum aperte istis grammatici verbis ostendatur, fuisse antiquitatis viros, qui praeter multas alias in rebus scenicis mutationes istam quoque longarum vestium actoribus induendarum Aeschylo tribuerent. Quamquam hanc conjecturam nullius momenti ad ipsam quaestionem explicandam esse velim! Neque Pausaniae aetate alium verbi usum reperimus, immo terminum technicum, quem vocamus, illud verbum factum esse, eo comprobatur, quod in lingua latina syrma eodem, quo exposui, sensu usurpatum, cuius exemplum afferro ex Martiali sumtum (carm IV, 49):

Musa nec insano syrmate nostra tumet.

Prorsus alia vero notione Pausaniae illud *σύρμα* explicandum esse, non est, quod moneam, vertendum enim est: tractus Antigones. Ex his ut summam colligamus: quum constet, ni egregie fallor, vulgarem hujus verbi usum prorsus diversam ab hoc Pausaniae loco notionem exhibere, porro quum Pausaniae tempore syrmatis vocem eodem sensu acceptam fuisse, versu Martaliano perspicue demonstretur, jam non ita audax videtur esse conjectura, eam *σύρματος* notione, quam hic reperimus, priori,

quam qua poetae tragici vigebant, aetati attribuendam esse. Quam ratiocinationem si sequeris, illud statim pro certo evin- citur, fabellam, quae loci nomen Σύρα Ἀντιγόνης explicat, ei tempori addici debere, quod poetas tragicos antecessit.

At ne sic quidem Pausaniae me satisfecisse arbitror, nam paulo amplius progressus jam id, quod ante hanc expositionem statui, fontem hujus fabellae vetus Thebanorum carmen fuisse, cui nomen Thebais erat, quam accuratissima possum diligentia confirmare conabor. Neque difficilis videtur ad hunc finem esse aditus, quandoquidem, quae antea disserui, pro veris certisque accipis. Etenim si ante poetarum tragicorum aevum fabulam referre cogimur, potest profecto aut lyricorum aut epicorum poetarum temporibus orta esse. Ac de lyricis poetis quid in mythis tractandis sit judicandum, infra quum ad eos pervenerimus, paulo fusius explicemus; hoc loco sufficiat praecepsisse, eorum operam non tanti esse momenti, ut aliqua cum verisimilitudine hanc fabulam eorum propriam nuncupare possimus; nam talis fuit eorum opera in mythis tractandis, ut aut ea proferrent, quae in poematis epicis jamdudum celebrata erant, aut ea, quae vivo hominum sermone excolebantur et ubique circumferebantur; quod innumerabilia exempla nos docent. Multo majore jure itaque ponere mihi videor, fabulam jam eo tempore ortam esse, quo cantus epicus floruit, quae aetas et ipsa vel maxime idonea fuit ad amplificandos hominum sermone mythorum ambitus; eamque uni Thebanorum carmini, Thebaidi, insertam fuisse, propterea quod vix sumi posse videtur, eam dignissimam aptissimamque carminis epici indoli in rerum contextu defuisse, quamquam jam populi sermonibus innotuerat. Accedit aliud argumentum, quo etiam magis opinio mea comprobatur, positum in Pausaniae ratione, quam observat in mythis tractandis. Etenim omnibus fere locis, quibus Labdacidarum fata in Boeoticis suis commemorat, acre scriptoris studium appetet, investigandi eas mythorum formas, quas veteriores esse consentaneum est. Imprimis vero hoc cadit in fratrum bellum² et quae cum eo con-

juncta erant; cuius rei causa posita est in auctoritate et pulchritudine carminis, quod ejus fata praedicavit. Nam quanta Pausanias Thebaidem laude dignam habuerit, dilucide perspicitur ex Boeoticorum cap. 9, 5, quo loco postquam Argivorum expeditionem contra Thebas factam breviter adumbravit, ita pergit: Ἐποιήδη δὲ ἐς τὸν πόλεμον τοῦτον καὶ ἐπη Θηβαῖς· τὰ δὲ ἐπη ταῦτα Καλλίνος ἀριστόμενος αὐτῶν ἐς μνήμην ἔφησεν Ὄμηρον τὸν ποιήσαντα εἶναι, Καλλίνῳ δὲ πολλοὶ καὶ ἄξιοι λόγου κατὰ ταῦτα ἔγνωσαν· ἐγὼ δὲ τὴν ποίησιν ταύτην μετὰ γε Ἰλιάδα καὶ τὰ ἐπη τὰ δὲ Ὄδυσσεα ἐπαινῶ μάλιστα. Quae si recte reputamus, non contra veritatis speciem opinio pugnare videtur, Pausaniam, quum hujus carminis laudes ita extolleret, ut ipsis Iliadi et Odysseae pari fere loco poneret, maxime in eo iterum iterumque lectitando occupatum omniumque, quae ibi referebantur, rerum tam gnarum fuisse, ut in describendis singulis locis regionibusque, quibus bellum saevierat, quorumque solo nomine res ab illis hominibus gestae in posteritatis memoriam revocabantur, saepissime in illius carmine narrationes incideret, eaque loca, quae Thebaidem respicerent, impensissime describenda sibi proponeret. Omnino, ut Pausanias plerorumque carminum epicorum accuratam notitiam habuit, ita minime ea sprevit, quae ex hujus scientiae orbe in librum de variis Graeciac regionibus quadrare et res, quas illustravit, graphica quadam, ut ita dicam, perspicuitate in lectorum conspectum proferre posse viderentur; immo vero — cuius rei haud pauca exstant exempla — haud raro occasionem arripuit, qua permagnum poeseos epicae studium et quos in eo collegerit fructus, nobis ostenderet. Nolo vero in proferendis exemplis tempus terere, quae in omnibus fere capitibus occurront, nonnulla modo in medium profero, quae scriptoris studium in Thebaide collocatum monstrant: IX, 10, 3; cap. 18; 33, 1; 42, 2. Atque hoc ultimo loco spectare potes eam, quam dixi, scriptoris curam, qua excitatus miram suam poetarum epicorum cognitionem patefacit non sine quadam suimet ipsius laudandi cupiditate, quum in describendo Eriphyles monili tres

Odysseae locos in promptu habeat (Od. XI, 326; XV, 459 sq.; XVIII, 295) quibus demonstretur, varias hujus ornatus formas jam Homero innotuisse. Quae quum ita sint, jam non possum non ex iis colligere, eam fabellam, qua nomen loci *Σύρμα Ἀριγόνης* explicatur, prorsus concinisse cum iis, quae de Antigones condicione in Thebaide inerant, ita ut pari modo et Boetorum traditionem et res a carmine illo celebratas hoc Pausaniae locos ante oculos habere equidem statuam.

Neque possum aliud reticere, quod semper ita me movit, ut vulgarem sententiam, ex qua Antigones factum carminibus epicis alienum est, non sine maximis dubitationibus acciperem. Habuerunt enim ii viri, qui hoc statuebant, prorsus nullum argumentum, quo opinionem confirmarent, nisi argumenti loco id fortasse ponere vis, quod nemo poetarum insequentis aetatis ejus facti mentionem fecit; sed argumenta ex silentio petita prorsus nullius sunt momenti. Neque vero respexerunt unam rem gravissimam haud dubie in hac quaestione dijudicanda. Nempe omnes, qui Antigones laudes unquam carminibus celebabant, poetae et Graecorum et Romanorum id totius compositionis principium habuere, ut Antigones amorem erga Polynicem in medio ponerent, ex quo centro totum circuitum pellucida luce perfunderent. Num vero hoc carmini epico abnegare, siquidem ii viri concedunt, aliquem certe locum ibi virginis fuisse, viri in arte critica factitanda satis cauti est? Minime, nam quamvis non sim ignarus, multa a primo poesis aevo integra relinquim imperfectaque, tamen iterum negari nequit, prima stamina fere semper a poetis epicis jam ducta, seminaque jam sparsa esse, ex quibus sequentium aetatum fructus efflorescebant. Ac miror, quod in illam sententiam omnes fere viri docti conversi sunt; nam multo majore jure ex hoc silentio concludi debet, id factum Antigones ex fratris flagrantissimo amore ortum in Thebaide locum habuisse, respecto eo, quod sororis amor omnibus omnium temporum poematis tanquam infixus est; quod gaudeo Nitzschium commovisse, ut fabulam de pio Antigones facto Thebaidi in-

sertam fuisse statueret. (Nitzsch Beiträge zur Geschichte der epischen Poesie der Griechen pag. 449). Movit fortasse illos viros opinio, Antigonem tale factum perpetrare non potuisse, propterea quod secundum veterem mythum corpora caesorum heroum statim terra abscondebantur, neque vero, qua in re exornanda posteriorum poetarum vis sese exercuit, inhumata relinquebantur praeda avium ferarumque. Schneidewinus quidem in praefatione ad editionem cognominis fabulae Sophoclae pag. 4 dicit, istius de Antigone mythi jam idecirco in poesi epica vestigium extare non potuisse, quia arce cum Polynicis per Creontem foedatione conjunctus sit, quam quum manifestissima signa ac testimonia nos doceant a tragicae musae poetis excogitatam esse, neque alterius rei ullam rationem haberi posse. Quod non sine sagacitate excogitatum esse haud ignoro, attamen non rectum esse videtur, quum arcta ea hujus facti conjunctio cum ignominia Polynici illata minime exstet. Nonne ita rem considerare debemus, id quod prolato Pausaniae loco comprobatur, Antigonem misericordia simulque amore Polynicis ductam, quum maximis honoribus Eteoclem cumulari videret a Thebanis, simili modo ejus fratrem conspicuum reddere voluisse? Quod ita fuisse ipsius rei natura comprobatur, nam licet cives Thebani hostium exequias fieri non negarent, primum tamen officium iis subeundum erat, ut caesi regis funus sollemniter celebrarent; qua in re causam inesse, cur Antigone ad illud factum impelleretur, quo frater fratrem honoribus adaequaret, nemo non videt. Itaque argumentum, quo nixus Schneidewinus suam de virginis mytho opinionem nobis probabilem reddere conatus est, quum conciderit, jam tota argumentatio evanescit, ita, ut hac quoque ex parte ea recta esse videantur, quae de Oedipi filia ejusque condicione constituimus.

Jam vero nova quaestio oritur quomodo Ismene altera sororum in carminibus epicis versata sit. Videtur ea magis quam Antigone virorum actionibus defuisse, quod ut contendam, virginis condicio, quam in omnibus sequentium aetatum poematis

obtinet, paulo obscurior me impellit. Neque improbabilis videtur conjectura esse, jam primis temporibus, quibus sororum mythus notus erat, Ismenes mitem animi indolem ita Antigonae oppositam fuisse, ut admirabilis hujus animi vis magis magisque illustraretur Ismenes vivendi sentiendique ratione minus elata, quemadmodum in Odyssea duae illae praestantissimae feminae Penelope et Nausicaa altera summa in Ulixem fide et constantia contra procorum arrogantiam nostros legentium animos mira voluptate et laetitia percudit, altera placidiore vitae consuetudine, maxima in parentes obedientia, pulcherrima infelicis Ulixis veneratione nostra studia in se convertit.

Novam fortasse rem, qua hujus quoque sororis mythus obscurissimus paulo clarior fit, afferre possumus desumptam ex Statio poeta Romano. Is enim poeta in Thebaidis suae l. VIII. Antigonem et Ismenem in scenam introducit, quo loco, quum res jam eo discriminis pervenisset, ut hostiles fratres vi armorum de Thebarum regno decertarent, istae sorores miseros Oedipodiondarum casus miserantur; deinde ad ipsum, quod jam imminebat fratrum certamen progressus poeta tali modo eas meditantes fingit v. 615 sq.:

Nutat utroque timor, quemnam certamine victum,
Quem viciisse velint: tacite preeponderat exul.

Quodsi re vera Thebaidi cyclicae infuit, declarat Ismenen non minus quam Antigonem majore Polynicis quam Eteoclis amore flagrasse. Atque quum disputationibus Welckeri (opusc. I, 396—401) et Schneidewini (Die Sage von Oedipus 13) constet, Statum, quum in componendo mythorum corpore certum auctorem non sequeretur, sed quo animi libido eum ferebat, inde materiam colligeret, hinc illine in priscae Thebaidis fines incurrisse et ex hoc carmine res sumsisse, quae sibi aptae viderentur ad inserendum in aliorum poetarum inventa, jam investigandum videtur, ex quoniam prioris antiquitatis poeta istud hauserit. Proprium vero ejus consilium perraro modo in ejus Thebaide agnoscas, nisi forte in eo, quod abstractos Romanorum deos, Pallorem, Metum

alios actionis participes facit, propriam poetae vim conspicere velis; minime autem in mythorum mole disponenda novaque forma exhibenda ejus operam nonnullius momenti aestimandam esse. Quae cum ita sint, non puto, hanc fabellam ipsi Statio tribuendam, sed potius ab poeta aliquo priorum temporum confectam esse. Constat vero, omnes poetas inde ab Aeschylo ita fere sororum condicionem depinxisse, ut aut Antigonem magis Polynici, Ismenen Eteocli favisse auditoribus monstrarent aut, quod multo plures fecerunt, Ismenen pari erga fratres amore incensam fingerent. Nemo autem Statii fabellam sui juris fecit; debemus itaque eam ipsius poetae Romani ingenio tribuere, nisi forte in conjectura mea acquiescere satius habes, Statium Thebaidis cyclicae vestigia, ut compluribus aliis locis, ita hic pressisse.

Sed de loco, quo ista sororum fabella posita fuit, opus est nonnulla addere. Sine dubio in Thebaidis cyclicae finem ea referenda est, propterea quod ejusmodi exequiae saepissime carminum epicorum finem faciunt. Sic, ut exemplum proferam, in Iliadis ultimo libro Hectoris funus celebratur, atque ut in nostro carmine Antigone soror, quae ex proxima ejus propinquitate sola fere superstes maxime eum dilexit — nam pater jam diem supremum obierat — Polynici consulit, ita in illo carmine Priamus pater Hectoris corpus ex hostium manibus eripit familiaeque reddit⁴⁾). Ac pulcherrime excogitatus fuit hic gravissimorum bellorum exitus, quo poeta auditorum animos admodum percussos saeva fratrum caede placaret, deorumque iram, quam urbs Thebarum in se excitaverat, rursus mitigatam ostenderet. Neque igitur suspicio oriri potest, Antigonem, quum alterius fratribus honori consuleret civibus suis ingratam fuisse, quum eorum animos maximo gaudio voluptateque exsultasse post periculum feliciter evitatum consentaneum sit. Necnon alia ob-

4) Nolo hac data occasione in illam controversiam incurrere, quae de Iliadis fine inter viros doctos exstitit, imprimis quia ea ultimi libri pars, qua Achilles Hectorem reddit precanti Priamo, sine ulla dubitatione genuina est; cf. Nitsch, Sagenpoesie 268—271.

stat res, quominus credamus, Thebanos Antigones pietatem aegre tulisse: dico auctoritatem, qua dii eorumque vates fruebantur apud illius urbis incolas; quae veneratio quanta fuerit in vetere civitate, inde elucet, quod Tiresias ex regia stirpe oriundus vatis munere fungebatur; atque quam hic vates dignitatem obtinuerit in Thebarum urbe, ex Odyssea cognoscere possumus. Quae summa deorum veneratio debuit efficere, ut Antigone, quae optime et de fratre et de diis inferis meruerat, vix odio esse posset.

Atque credo haecce esse, quae de sororum in carminibus epicis mytho proferri possint. Neque enim veri simile est, eas in Oedipodia quoque et in Epigonis locum habuisse, quum tota posterior aetas usque ad Sophoclem nullam fabulam exhibeat, qua sorores actionibus inserantur patris matrisve, atque una tantummodo fabula earum vitam usque ad epigonorum aetatem provectam fingat, quae tamen numquam eam famam adepta est, ut ab aliis quoque poetis in usum vocaretur.

Caput II.

Quae mythi formae sequenti aetate reperiantur, qua poetae lyrici florebant, exponatur.

Ad alteram disputationis partem jam transgrediamur, qua quid poetae lyrici de sororum fabula novi afferant, explanetur. Neque vero, priusquam ipsos, qui virgines in carminibus commemorant, poetas accuratius perlustramus, fieri potest, quin in universum intentius investigemus, quam hujusce generis poetae in tractandis mythis legem secuti sint; cui operae jam idcirco supersedere non possum, quia multum inde lucis in posteriore disputationis partem effusum iri per se patet. Iam antea monui,

hos poetas eam fere rationem secutos esse, ut ea, quae ante-euntis temporis poetae, Homerus eumque aemulati alii poetae epicis, ex singularum gentium Graecarum mythis conformaverant, nec minus ea, quae in vulgaribus hominum sermonibus addita erant, in carminibus tenerent nullis fere mutationibus admissis. Quae lex sequitur ex ipsis hujus poeseos normis; propria enim poetarum lyricorum vis est, ut, quoniam non aliorum res gestas describunt, sed suos animi motus, qualescunque sunt, ex imo pectore effodiunt, minime sibi proponant, mythorum orbem amplificare, quippe quod consilio haud inserviat, sed exempla tantum ex mythis diversissimis appetant, quibus varii animorum affectus explanentur, illustrentur, exornentur. Neque debet, qui tali consilio ductus carmina componit, novis inauditisque exemplis uti; qui enim poeta exspectare potest, se auditoribus clariorem motuum imaginem exhibitum esse exemplis antea ignotis? Quae modo disputavi, locum praesertim habent in carminibus elegiacis, nam praeterquam quod hujus generis poetae in depingendis animi affectibus omnium maxime immorantur, accedit etiam aliud, quod, quominus in exornandis heroum mythis multis sint, impedire videtur. Nam ipsius metri, quo utuntur, forma, distichon, necessitatem auctori imponit, ut in arctissimos fines mythorum argumenta includat, quare notissima tantummodo ab iis leviter perstringi nemo miratur. Paulo aliter res se habere videtur, si posteriorum poetarum melicorum curam, quam in mythis excolendis et perpoliendis habebant, indagare suscipimus, nam metrorum rationes eos minime arcebant, quominus animi arbitrio aliquanto liberius indulgerent. Atque sunt ex eorum numero nonnulli, qui eam, quam dixi, viam accumulandi novam in poematis suis materiam epicam, ut ita dicam, re vera ingressi sunt, exemplum unum Stesichorum afferre satis habeo, quem Ὀμηρικώντας, ut Longini verbo utar, non modo in omnimodis mythis moratum esse, argumentaque uberrima ex iis hausisse, verum etiam, si singularum partium concentus et contextus nimis rudis et negligens videretur esse, nova addidisse,

complura antiquitatis testimonia demonstrant, omnesque viri docti consentiunt. Multo plures autem consilium et exemplum poetarum elegiacorum secuti sunt⁵⁾; quod statim copiosius exposituri Pindarum, hujus generis principem, ejusque in mythis observandis consuetudinem inspiciamus. Qui poeta omnia, quae eo usque in poesi melica elaborata erant, complexus in epiniciis suis ingentem ac fere incredibilem cujusvis urbis mythorum notitiam ostendit, quare persuasum habeo, si hujus poetae rationem mythorum tractandorum exposuerim, me effecturum fuisse, ut omnium hujus generis poetarum vias, quas spectarunt in adhibendis mythis, patfecerim. Ac fere semper hanc rationem poeta secutus est, ut viri, cuius victoriam carmine celebrandam sumsit, stirpem patriamque urbem laudibus efferret; quare persaepe in mythis urbium non potuit non commemorari. Neque in materia tractanda brevitatis amantissimus est, quod statim comprobo Pythiorum carm. IV, in Arcesilai Cyrenaeorum regis, qui curru vicerat, laudem composito, nam continet istud carmen trecentos fere versus, quorum longe plurimi mythologicas res tractant. Neque vero ita priorum heroum fata depingit, ut placido et tranquillo cursui carminum epicorum applicatus sit, sed summa tantum mythorum depromit, in quibus praesertim totius fabulae vis insita est. Exemplum habes ex ipsis Thebanorum mythis desumptum, Olymp. carm. II, quo Theronis Agrigentini victoriam in Olympiis reportatam celebraturus poeta fata stirpis Thebanorum regiae, unde Thero originem duxit, raptim persequitur; id enim solum comprobare vult, fata homi-

5) Optime et pulcherrime de hac quaestione Bernhardy in graec. lit II. 437, disseruit: „Durch Intelligenz auf eine unparteiliche Höhe gerückt, wurden sie Lehrer der sittlichen Bildung und Vermittler der wichtigsten Frage in der reifenden hellenischen Reflexion, indem sie die Mythen und den Glanz der Vergangenheit im Zusammenhange mit den neusten Ereignissen betrachteten; wobei sich ein reicher Anlass zu historischen Anschauungen, zu Maximen und Läuterungen der volkstümlichen Ansichten bot“. Cf. etiam Nitsch, Sagenpoesie etc. 111.

num mobilitati et maximis vicissitudinibus obnoxia esse. nullamque rebus secundis inesse constantiam; igitur hujus stirpis heroes profert, quorum nomina semper variis fortunae casibus conspicua erant, Laium, Oedipum, Polynicem, Thersandrum. Atque id ipsum, quod summa tantum mythorum poeta tangit, facile nos commovet, ut eum vestigia mythorum popularium pressisse ponamus. Ac poterunt alia exempla afferri, quae hunc usum pro certo affirment: ne tamen longius sim, nonnulla proferam ex ipso Labdacidarum mytho, quibus facilis ad disputationem de Antigone et Ismene transgressus efficitur, dico ea, quae de fratrum bello Pindarus in promptu habet. In duobus imprimis carminibus (Ol. VI, 15 sqq. Nem. IX, 22 sqq.) finem belli inter fratres coorti commemorat, quae narratio prorsus eandem mythi formam continet, quam antea, quum de poesi epico sermo esset, constituimus. Septem enim rogis Argivorum heroum corpora imposita fuisse poeta narrat, cui rogorum numero satis aperte exprimitur, fratres uno igne combustos esse, quam fabulam sine dubio Thebais exhibuit; nam septem heroes Argivi jam caesi erant, ita ut fratribus unus modo rogos superesset. Sed ex priori praesertim loco nonnulla colligere possumus haud inutilia proposito. Septem rogis combustis Adrastus Thebis summo Amphiarae desiderio captus orationem habuisse dicitur. Jam quaeritur, qui fieri potuerit, ut poeta Adrastum, qui Thebanorum hostis fuerat, in hac urbe commorantem fingere queat. Nullam aliam ob causam, quam quod strage confecta Argivorum qui superstites erant, non statim patriam fuga quaesiisse, sed cum Thebanis foedus fecisse videntur, ex quo utrique paribus impensis mortuos sepelire jussi erant. Quibus in exequiis Adrasti oratio locum habuisse potest, quam Pindarum l.l. nobis servasse veri simile est. Qui belli finis quam egregie congruat cum eo, quem supra exposui, Thebaidis exitu, dilucide appetet ex comparatione utriusque fabulae. Ambae enim spectant id, ut finem tristissimorum casuum aliquanto pulchriorem minusque miserum efficiant et pacem concordiaeque reconciliationem inter gentes

belligerantes restitutam ostendant. Simili modo in Iliade Homerus Achillis iram in Hectorem sub finem sedat mitigatque, ita ut non recuset, quominus examinatum Hectoris corpus Priamo petenti tradat, quae similitudo et ipsa causa fuisse videtur, cur Pindarus, quum hostium reconciliationem exhibere vellet, Thebaidis exemplum imitaretur.

Atque jam constituimus, qualem de fratribus mythum Pindarus praebeat; quaerentibus vero, quae sororum apud istum fuerit condicio, non sine dolore nobis confitendum est, et Antigones et Ismenes prorsus nullam mentionem fieri. Quod ita esse, eo magis mirari debemus, quo peritiorem poeta se praebet cum universi omnium mythorum orbis, tum maxime Thebanorum, ex quorum urbe oriundus erat et cuius se amantissimum esse, innumeris dictis comprobat. Debet sane tale silentium nobis demonstrare, sororum fata factaque apud Pindari aequales et priori tempore non ea, qua postea, gloria floruisse; minime vero inde concludi, tale quid veteriori fabulae formae eminio non infuisse. Expiscandum potius videtur, cur poeta omiserit, iis locis, quibus de Labdacidarum stirpe egit, virginum condicionem adumbrare, deinde, quae causa inveniri possit, cur in illorum temporum memoria sorores minus inclaruerint. Ac primam quaestionem ut dirimam, cur Pindarus sororum mythum, quo loco Labdacidarum fata breviter enarrat, Ol. II, omiserit, primo quisque obtutu perspicit, poetam propterea earum rationem non habuisse. quod non de feminis ex Thebarum stirpe oriundis universe agebatur, sed Cadmi modo filiarum mentio facta est. Neque ea sortis mobilitas, qua alias stirpis illius personas Pindarus ostendit eminuisse praeter caeteros homines, in sororum mytho conspicua erat, quod principium Pindarum in tractandis feminarum quoque mythis tenuisse, ex Isth. carm. III. appareat, ubi Megaram, Creontis filiam, in medium profert, cuius filios Hercules insania captus interfecerauit, quamquam ipse eos procreaverat; unde perspicitur, veteris mythi eam indolem fuisse, ut iis modo viris feminisque significantior locus tributus fuerit, qui

misera rerum condicione praeter ceteros homines eminebant. Praeterea Homeri Odysseae l. XI. pro mea sententia pugnat, quum in isto quoque libro eorum tantum nominum mentio fiat, quorum memoria infelicibus casibus insignis fuit. Eandem enim Megaram profert, praeterea Epicasten, et Eriphylen, feminas infelicissimas, quod num caeco soli casui tribuendum sit, equidem dubito.

Neque Corinna poetria, quae ex Boeotiae urbe originem ducebat, sororibus majorem quandam auctoritatem in carminibus tribuisse videtur. Fuit quidem haec poetria mythorum patriorum haud immemor, quod servato uno fragmendo ostenditur, quo ea praeclaras Oedipi res gestas cecinisse dicitur; neque vero ulla causa exstat, cur in hoc carmine sorores prolatas esse opinemur; in dubio igitur quaestionem relinquo.

Disputatio jam eo pervenit, quo quid ceteri poetae lyrici ad sororum fata illustranda tradiderint et quod in iis consilium appareat, accurate exponamus oportet. Atque uni modo Sophoclis scholiastae, Sallustio, debemus eam, quam habemus, poetarum lyricorum notitiam. Is enim in argumento de Antigone Sophoclis fabula composito duorum poetarum nomina nobis servavit, qui virginum in carminibus aliquam rationem habuerint, alterum Mimnermum, alterum Ionem Chium. Cujus scholiastae verba haecce sunt: (Dindorf, scholia in Sophoclis tragoealias septem ed. Oxonii 1852. pag. 19 sq.): **Στασιάζεται δὲ τὰ περὶ τὴν ἡρωΐδα ἴστορούμενα καὶ τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς Ἰσμήνην.** Ο μὲν γὰρ Ἰων ἐν τοῖς διδυράμβοις καταπορθῆνται φησιν ἀμφοτέρας ἐν τῷ ιερῷ τῆς Ἡρας ὑπὸ Λαοδάμαντος τοῦ Ἐτεοκλέους. **Μίμνεψμος δέ φησι τὴν μὲν Ἰσμήνην προσομιλῶσαν Θεοκλυμένῳ** ὑπὸ Τυδέως κατὰ Ἀθηνᾶς ἐγκέλενσιν τελευτῆσαι. — In pertractandis vero poetarum fabellis nolo eum, quem scholiasta adhibuit, ordinem servare, quum institutae rationi magis aptum sit, priori loco de Mimnermo agere. Solam Ismenen poeta refert, neque vero inde ea suspicio oriri debet, quae Bergkium in poetarum lyricorum editione pag. 414 movit, ut lacunam

statueret, in qua de Antigonae sorte pauca commemorata essent. Quod vix puto ei concedendum esse, quum Pherecydes logo-graphus, qui et ipse Labdacidarum mythum descripsit, similem huic fabellam habeat, secundum quam Ismene aquam ex fonte haustura a Tydeo deprehenditur et necatur. Atque quod verba *τῆν μὲν Ἰσμήνην* efficere videntur, ut exspectandum sit aliud enunciatum particula δέ incipiens, num id vere offensionis ansam praebere potest? Evidem nego, nam permagna in his rebus scholiastarum est incuria, quos minime eo modo, quo veteres scriptores tractare consuevimus, explicare debemus.

Sed opus est, ut reliquas fabellae partes indagemus, quibuscum hoc Mimnermi fragmentum conjunctum fuit, quam operam aggressurus statim ab initio pro certo constituere velim, eam fabulam arcto connexu cum fratribus bello fuisse copulatam. Nempe virgo Theoclymeni cujusdam consuetudine usa Thebarum portas egressa erat, ut hunc virum visitaret, quum res jam eo discriminis pervenisset, ut Eteocles et Polynices de patrio regno decertarent. Quoniam belli tempore Ismenes mors posita fuerit, facile perspicitur, nam vix credibile videtur, virginem tanta audacia fuisse, ut inter ipsas virorum acies Thebis egrederetur; qua virginis nece Tydei saevitia jam ab Homero commemorata statim initio pugnae auditoribus ostendebatur. Qui fuerit Theoclymenus, in incerto relinquitur a poeta; certe non fuit Thebanus, sed una cum Polynice contra Thebas profectus erat; nam cur Ismene urbem reliquerit, siquidem vir ille Thebis oriundus erat, nulla causa cogitari potest. Praeterea complures viri docti eum fuisse vatem conjecterunt, quorum ex numero affero nomina Welckeri (ep. Cycl. II, 358) et Schneidewini (ed. Ant. Soph. pag. 5), argumento tamen nullo prolato. Neque mihi ea conjectura displicet, quum mihi in mentem venerint nonnulli Odysseae loci, quibus Theoclymenus quidam vates Argivus actionis cursui inseritur, qui cum Amphiarao propinquitatis nexu conjunctus dicitur, sc. Od. XV, 220 sqq., ubi Telemachus in

patriam reversurus nave eum excipit profugum ab ira propinquorum, XVII 150 sqq., ubi Penelopae vaticinatur, Ulixem jam in patriam rediisse, XX, 363 sqq., ubi idem perniciem procis jam impendentem praedicat. Ac possumus, si prolatam conjecturam probamus, novo arguento stabilire, quod alio loco suspicatus sum, sororum amorem magis in Polynicem versum fuisse quam in Eteoclem; nam fuit Theoclymenus socius Polynicis, hostis Eteoclis, atque hujus familiaritate usa est Ismene, quod nescio an illi conjecturae faveat.

Quaeritur vero, num hanc de Ismene fabellam Mimnermi propriam dicamus, necne. Si tenemus, quae in universum antea de lyricorum poetarum in mythis tractandis rationibus disserui, necessitate eo adducimur, ut hanc fabellam non ex Mimnermi, cuius solum nomen fert, ingenio profectam esse statuanus, sed ejus initia potius in vulgari hominum sermone orta esse, eo consilio, ut mythi pars, quam cantus epicus minus excultam deseruerat, universae mythi faciei adaptaretur. Necnon ipsius narratiunculae indoles sententiae meae favere videtur, quae plane cum universo Labdacidarum mytho concinit; et tristissimus virginis exitus, et ejus cum vate deorum amicitia, et inclinatio in hostium partes comprobant eam, quam proposui, sententiam. Recte quoque in certamen vocare possum Welckeri de hac fabella sententiam, (ep. Cycl. II, 357) Ismenes necem non fingi potuisse ante fratrum mortem confectam, nisi prioribus poesis Graecae temporibus; quamquam quod idem conjectit, fabellam in Thebaide cyclica locum habuisse, mihi negandum videtur complures ab causas. Primum, si isti Welckeri conjecturae assentimur, simul ponamus necesse est, Ismenes auctoritatem in Thebaide majorem fuisse, quam Antigones; major vis enim virgini jam eo tributa esset, quod in cardine totius carminis, quum hostilia arma jam parata essent, auditoresque intente ipsos belli casus fratrumque certamen expectarent, poeta virginis sortem explicasset, quae licentia non excusari

posset nisi summa virginis dignitate⁶⁾). Sed quominus hoc statuamus, omnia nos prohibent, nam nullo excepto omnes poetae semper Antigonem praevalentem finxerunt auctoritate; et quam tandem causam invenias, qua mirum hoc cantus epicis ceterorumque poetarum discrimen, quomodo ortum sit, curque ortum sit explicetur? Aliud quoque contra Welckeri sententiam pugnat, quod Odysseae l. XI. jam saepius commemoratus Ismenes nullam mentionem facit. Quod argumentum cave ne improbes, nam paulo accuratius si inspexeris Ulixis verba, quae de heroibus heroidibusque in Tartaro visis facit, intelleges, cum imprimis in iis personis describendis morari, quae ex Thebarum urbe ortae hujusque urbis mythis celebratae fuerint, neque infelicem esse Fr. Laueri conjecturam, quam in quaestt. Hom. I, 88 protulit, sive a Boeoto, sive inter Boeotos *Néxviār* compositam esse. Atque si ea, quam quidem Welckerus vult, vis in Thebaide Ismenae tribuebatur, num credere licet, illam *Néxviār*, quae Megarae, Creontis filiae non ita clarae, nisi quod Herculis conjux fuerat, mentionem faciat, hanc virginem oblivione obruisse? Vix dixerim hoc fieri potuisse, rejicioque eam ob causam Welckeri conjecturam. Id potius sumo, fabellam excogitatam esse confectis jam carminibus epicis, sed florentissima eorum memoria in hominum sermonibus, ita ut veterum fabularum vi quasi percussi homines hoc novum aptissimumque additamentum excogitarent, quo alterius quoque sororis, quae usque eo belli actionibus non immixta fuisse, mythus, similem in formam redigeretur concineretque cum Antigones, quae jam innotuerat carmine epico, fabula.

6) Quod quam grave argumentum sit ex analogia quadam elicere possumus, quae in ultima Iliidis parte extat. Quam partem si consideramus, qua Achillis ira contra Trojanos saevit, apparet, eam nihil nisi solam rerum ab Achille gestarum enarrationem continere, nullo interposito episodio, immo spretis fere omnibus imaginibus quae in prioribus Iliidis libris saepissime occurrunt.

De Jonis, alterius poetae, qui sororum mythum carmine celebravit, fragmento quum mihi jam nonnulla dicenda sint, videmus jam ex fabellae indole, eam longissimo spatio a veteri mytho distare, ita ut vix de ea re cogitari possit, hujus quoque poetae narrationem ex populi sermone haustam esse, sed magis verisimile videatur, ipsum Jonem auctorem ejus fuisse. Elucet inde jam ea componendorum mythorum ars, quae poetarum imprimis tragicorum propria est, neque Jonem hujus artis ignarum fuisse, sed tragoeidas non mediocris pretii confecisse, inter omnes constat. Eam vero de sororibus fabellam, quam supra transscripsi, in dithyrambo tractavit, ut diserte Sophoclis scholiasta tradit; quod poesis genus Bacchi honori dedicatum optimo jure in celebrandis Thebanorum mythis versabatur, propterea quod Bacchus primum in ista Graeciae urbe templa ac sacra habuisse dicebatur. Ac finguntur virgines vitam degentes usque ad illud tempus, quo Polynicis et Eteoclis filii, Thersander et Laodamas, postquam adoleverunt, denuo de Thebarum regno certabant, ad quod usque tempus praeter Jonem nemo in toto literarum Graecarum circuitu virgines vixisse nobis tradidit. Neque licet suspicari, Laodamantem longo tempore ante epigonorum bellum virgines igni comburendas dedisse, quia illud bellum ex omnium scriptorum consensu statim exortum est, quum primum filii eorum adoleverunt, qui una cum Polynice olim Thebas oppugnaverant; neque Laodamas jam multo ante rex factus esse potest, quod ne fieret, nimia ejus juventus prohibuit. Sin autem quaerimus, cur Laodamas virgines in Junonis templo mactaverit, latissimus quidem conjectandi et commentandi campus aperitur, sed ob id ipsum, quia nimis animi lusibus indulget, perdifficilem aditum praebet ei, qui eos evitare studet, atque nonnisi summa cautela adhibita in eam quaestionem inquiram. Fortasse id non omni probabilitate caret, Laodamantem, quum metueret, ne Antigone et Ismene majore Thersandri quam suimet amore captae subdole Thebas proderent, atque hoc periculum regno suo impendens initio statim belli de medio tollere vellet, virgines igni dedisse; quod

ut perficeret poterat etiam magis commoveri, quia totum genus ab Oedipo procreatum deorum irae obnoxium esset, quae non sedari posset nisi omnibus e vita sublatis. Jam aliis locis vidi-
mus, esse nonnulla in veterioribus fabulae formis, quae majorem sororum amorem in Polynicem ejusque socios fuisse indicare videantur, quo veteris mythi consilio ductus, Jon facile fingere potuit, eodem prorsus modo sorores Thersandri amantiores fuisse quam Laodamantis. Quod si pro vero habemus, fuit virginum immolatio initio belli eam ob causam instituta, qua periculum averteretur, quod ab istis patriae parabatur, simulque deorum voluntas magis in Thebanos, quam in Thersandrum ejusque socios converteretur. — Sed satis de Jonis fabella, ne videar artificiosius rem egisse!

Jam omnes exspectabunt, me uberrimum campum, in quo poetarum tragicorum opera huic mytho navata explanetur, patefacturum esse; sed opus est, antea ejus, quod jam saepius commemoravi, fragmenti, quod ex Pherecydis opere mythologico nobis servatum est, aliquam certe rationem habere. Iste enim scriptor, quem mythorum diversorum haud indiligentem obser-
vavatorem et perscrutatorem fuisse ex ejus reliquiis scimus, haud omisit fabulas orbis Thebani tractare atque de Oedipi liberis hanc exhibit narrationem servatam in scholio ad Euripidis Phoenissarum v. 53: *Φερεκύδης τὰ κατὰ τοὺς Οἰδίποδος παῖδας καὶ τὰς γημαμένας οὐτως ἴστορεῖ. Οἰδίποδι, φησὶ, Κρέων δίδωσι τὴν βασιλείαν καὶ τὴν γυναικας Λαίον, μητέρα δ' αὐτοῦ Ιοκάστην, ἐξ ἣς γίνονται αὐτῷ Φράστιωρ καὶ Λαόντος, οἱ θιήσκουσιν ὑπὸ Μιννῶν καὶ Ἐργίουν.* Έπει δὲ ἐνιαυτὸς παρῆλθε, γαμεῖ ὁ Οἰδίπος *Ἐνδρυγάνειαν τὴν Περίφαντος*, ἐξ ἣς γίνονται αὐτῷ Ἀντιγόνη καὶ Ισμήνη, ἣν ἀναιρεῖ Τυδεὺς ἐπὶ κορήνης, καὶ ἀπ' αὐτῆς ἡ κορήη Ισμήνη καλεῖται· νίοι δὲ αὐτῷ ἐξ αὐτῆς Ἐτεοκλῆς καὶ Πολυνείκης κτ. — Atque iam elucet cur hoc Pherecydis fragmentum statim lyricos poetas subsequi jusserim, nam nullus inter eum et poetas tragicos nexus intercedit, sed similem Mimnermi fabellae materianū praebet; neque praetermittendum, totam mythi formam

vetustiores fabulas redolere. Neque vero prorsus cum Minnermi fabula puto confundendum esse hoc fragmentum, id quod Welckerum ep. Cycl. II, 357 et Schneidewinum praef. ad Ant. Soph. pag. 5 statuisse miror, quum Mimnermus non commoret, Ismenen, quum aquam hauriret, a Tydeo interfectam esse, rursusque apud Pherecydem nullum Theoclymeni vestigium reperiatur, neque Minervae adhortationes, quibus commotus Tydeus virginem de medio sustulisse dicitur, tangantur, quae diversitates minime omitti debent. Utra antiquior sit, difficile est dictu; sed videtur, ni fallor, Mimnermi narratio majorem veteroris temporis speciem pree se ferre, quam Pherecydis. Etenim, quod jam supra in certamen vocavi argumentum, omnes, quae ex veteribus Boeotorum carminibus aetatem tulerunt, reliquiae demonstrant ingentem vatum in illa civitate potestatem; quod quum in illa fabula a Mimnermo tradita inveniatur, jam non plus justo audax esse mihi videor, quum contendam, hanc minori temporis spatio a carmine epico distare, quam Pherecydis, quam exhibet fabulam. Neque quod Welckerus ep. Cycl. II, 357 not. 84 eumque secutus Overbeckius in libro, cui inscripsit: Die Bildwerke des thebischen und troischen Sagenkreises, Bruns-vigae 1853, pag. 122 volunt, Ismenen aquam haurientem in Thebaide locum habuisse, ita me movet, ut de sententia discedam. Nam quamvis minime negaverim, in carminibus epicis saepenumero mulieres vel lavantes vel aquam haurientes introduci, inde tamen minime consequitur, ut eam fabellam, secundum quam Ismene apud fontem necatur, Thebaidi inserere cogamus; ac praesertim quum apud posterioris aetatis scriptorem primum fabellae vestigium reperiamus, suo jure conjectura proferri posse videtur, eam ortam esse ex imitatione aliarum similis argumenti. Neque vero haec fabula hominum cognitione carebat, quum in vasibus nonnullis eandem materiam inveniamus depictam⁷⁾.

7) De quibus picturis vide Overbeckii librum jam commemoratum, pag. 122 sqq., ejusque tabularum III, 12, cf. etiam Welckeri commen-tationem in: Zeitschr. f. Altertumswiss. 1850, 5.

Caput III.

**Quomodo poetae tragicī sororum mythum
excoluerint.**

Ad majores curas animum expedire jam cogor; quaerendum enim nunc nobis est, quid tres illi poetae tragicī ex exigua materia finxerint, quam carmina epica et cantus lyricus iis elaborandam reliquerunt. Quod quem in modum a viris illis clarissimis factum sit, quis est, quem fugiat; nam quantam omnes viri et docti et indocti delectationem, quantam studiorum instimulationem perceperunt ex immortalibus eorum fabulis, quae celebre Antigones factum sibi sumserunt cantandum, praedicandum, extollendum? Aut enim omnino nova veste mythorum corpus in duebant, aut ossibus carnem et sanguinem addebant; neque tamen talem hanc operam tibi fingas, ut ab uno statim poeta totum opus ad perfectionem redactum sit, sed id potius sumas, insistere sequentem poetam prioris humeris, premere ejus vestigia, expolire ea, quae iste addiderit, augere novis, quae prior omiserit, reddere pleniora, quae non ad summum perfectionis gradum pervenerint. Quod ita fuisse demonstrant dramata, quae sororum fata in fines suos coegerunt, Aeschyli Septem contra Thebas, Sophoclis tres fabulae, Oedipus rex, Oedipus Coloneus, Antigone, Euripidis Phoenissae, quae omnes vario modo sororum condicionem illustrant, optimeque nobis viam demonstrant, quam ingressis nobis licet diversa eorum consilia persequi et perscrutari, imasque compositionum leges patetfacere. Ac primum quidem, quum instituta a me ratio poscat, examinare constitui, quid de Aeschyli opera huic mythi parti data dicendum videatur.

Primo Olympiadis duodeoctogesimae anno Athenienses Aeschyli Oedipodiam summo, quod propositum erat, praemio dignati sunt, quod didascalia hujus trilogiae nos docet. Atque trium, quae ista continebantur, fabularum, haec fuerunt nomina: *Αἴτιος*, *Oἰδίποντος*, *Ἐπτὰ ἐπὶ Θήβαις*, quarum ultima tantum

nobis servata est. Possumus vero jam ex ipsis priorum duarum nominibus concludere, sororum fata in iis tractata non fuisse, quum in argumento tertiae fabulae servato usque ad nostra tempora satis longa totius mythi enarratione, quae, ni fallor, Aeschyli fabulis acommodata est, satis demonstretur, sorores ejus modo actionis participes factas esse ab Aeschylo, quae ad fratrum bellum spectabat. At aliud hoc statim loco in medium proferendum puto, quod ab Aeschylo immutatum esse videtur, in hoc enim primo invenimus sorores ex Jocaste oriundas esse. Jam in ea fabula, quam Pherecydes nobis servavit, invenimus idem, quod Aeschylum commovit studium augendi saevam mythi faciem, quum ex Jocaste duo filio, Phrastor et Laonystus ei orti dicerentur; quare optime persequi possumus, quomodo temporum serie paulatim ea mythi forma, quam apud poetas tragicos invenimus penitus perpolitam et excultam, in hominum vulgarium ore creverit. Neque tamen in eo acquievit Aeschylus: omissis illis duobus Jocastes filiis eorum loco substituit quatuor liberos, quos prior mythus Euryganeae matri tribuerat. Satis patet, quemadmodum haec mutatio severam totius mythi vim auxerit, neque minus tragica poetae vis ex amplificatione eluet, quae et Oedipi miserabile fatum magis ac magis eminentia facit, et liberorum sortem extemplo saevae deorum irae obnoxiae reddit eo quod Oedipus ex sua ipsius matre eas generat. Necnon ea mutatione multo arctior connexus priorem mythi partium et insequentium efficitur: nam in carminibus epicis quum Epicaste statim post nuptias confectas mortem sibi conciverit, postquam comperit, quanto stupro foedata esset, atque ex altera conjugi Oedipus liberos procreaverit, mirari fortasse possumus, deos Oedipo maximas aerumnas misisse, qui tamen patris mortem stuprumque cum matre commissum crudelissima amissi oculorum luminis poena satis luisse videbatur, neque minus, deorum iram non acquiescisse priusquam tota virorum progenies, quae ex Oedipo oriunda erat, extingueretur. Omnes quidem concedimus, prorsus cum severa remotiorum temporum

sentiendi ratione concinere, deorum iram contra depravatum aliquod hominum genus insatiabilem fingi a postea, neque ultionem in uno, qui scelus patraverit, subsistere, quia ob patris crimen omnis familia vita hominumque societate indigna videatur. Neque vero haec severa sententia de deorum justitia, qua liberi ex matre prorsus insolente orti patris crimina luunt, humanioribus cultioribusque aetatibus apta est, quae ut omnino placidiorem tranquillioremque omnium rerum et divinarum et humanarum condicionem poscunt, ita deorum iram justitiamque in imponendis poenis majori cum clementia conjunctam fingunt; ex quo fonte Aeschylus mutationem profectam esse statim videbimus. Duae enim rationes poetae patebant: saevam mythi vim aut lenire debebat, quod tamen pugnat cum poetae tragici indele et cum ea lege, quam in trilogiis comprehendens Aeschylus secutus est, ex qua »τὸ δνσσεβὲς ἔργον μετὰ μὲν πλείονα τίκτει σφετέρᾳ δ' εἰκότα γέννα« (Ag. 736); aut siquidem severam mythi faciem retinere voluit, necessitate quadam cogebatur, ut ex novo fonte tristes progenie casus profluxisse fingeret. Quare Jocasten matrem pro Euryganea substituit; nam hoc modo progeniei vitam non vitalem fecit, cuius ipse ortus contra omne hominum deorumque fas et jus pugnaret. Itaque fratres prima juventute occidunt; sorores vero casui superstites sunt; quod cur a poeta institutum sit, jam videamus. Sanctissima enim semper erat lex mortuorum propinquis sepeliendi eos, atque quum solae serores superstites essent, istud munus iis subeundum erat; quare poeta earum vitam ultra fratrum mortem provectam finxit.

Longe felicissime autem Aeschylus nodum nexuit, quum repugnantiam inter Antigones factum et civitatis leges detexit eo, quod civitatis primores vetantes finxit, Polynicis ut hostis patriae corpus humari. Fieri non potuit, quin hac mutatione recepta Antigones facinus majori laude extolleretur. Tantum enim abfuit, ut virgo civitatis leges praferendas censeret aeternis illis et non scriptis legibus, quae in imis uniuscujusque praef-

cordiis infixae sunt, secundum quas sorori consulendum fuit, ne
 fratris caesi corpus dehonestaretur, ut summa ac paene incre-
 dibili fortitudine vel magis ad propositum impelleretur virginum-
 que comitatum permoveret, ut sibi adjutrices fierent in exse-
 quendo pio officio. Infeliciorem vero mutationem dixerim, quod
 pars chori hac in re Antigonē adjuvat. Fortasse poetae in
 carminis epicī narrationē Antigones conatus ultra fines debilium
 unius virginis virium egredi videbatur; igitur ne pari opprobrio
 sua fabulae conformatio haberetur, chori dimidiam partem An-
 tigonē sequi jussit ad funus rite celebrandum. Excusatur
 quidem poeta ea alia mutatione, quod Eteocles funus non per
 Thebanos factum depingit, sed Ismenen alteri fratri consulente in
 scenam introducit, qua mutatione omnis fratrum cura solis
 sororibus committitur. Neque vero idcirco commoveri nos, ut
 Aeschyli fabellam ei p̄aeferamus, quam Thebais exhibuit, con-
 sentaneum est, quum in dijudicando rerum ad poesin pertinentium
 pretio minime ab hujusmodi principiis proficiscendum sit, immo
 potius considerandum, quaenam fabula majore cum rationibus
 aestheticis concentu excellat, a quo si exordimur, carminis epicī
 fabellae primas partes tribuamus necesse est. — Ipsa vero re-
 pugnantia humationis ab Antigonae perpetratae cum legibus a
 civitate sancitis qualis sit, paulo accuratius videtur explanan-
 dum esse, quod ut meliorem eventum habeat, proficiscar a car-
 minibus epicis. Mos erat veteribus Graecis tempore heroico,
 hostium caesorum corporo inhumata relinquere, id quod ex
 sexcentis Iliadis locis appareat. Differt tamen ab hoc communi
 Graecorum more Thebaidis mythus, quum et Polynices et Argi-
 vorum duces a Thebanis iisque, qui supererant, Argivis sepulti
 sint. Quod cur factum sit, si quaerimus, facili negotio eo per-
 venimus, ut statuanus, esse id discrimen inter Thebaida aliaque
 id genus poemata inde explicandum, quod Polynices non sine
 causa Thebarum imperium cupere videbatur, quippe qui parem atque
 Eteocles olim sortem accepisset, quum de regni successione inter
 fratres ageretur. Verum quum non, ut voluerat, victoriam sibi

parasset, id non injuria ejus propinquui flagitare potuerunt, ut
 iives paribus sepulcrorum honoribus caesos fratres afficerent;
 demque in Polynicis socios cadere, minime mirum. Neque
 omittendum, in fratrum bello Graecos contra Graecos pugnasse,
 quae res nimirum universam condicionem commutat; in Iliade
 enim Graeci cum Troibus pugnant, gente a Graecis toto coelo
 diversa, quorum corpora omnibus rationibus dehonestare poterant;
 minime vero Thebani sibi persuadere poterant, eundem contra
 Argivos morem observari debere, quippe quibus eadem cum ipsis
 origo, eadem lingua, iidem dii essent. — Aliam vero rationem
 Aeschylus secutus ita mythi naturam invertit, ut Polynices, qui
 uae ipsius patriae bellum inferre conatus esset, hostis tantummodo
 Thebarum fieret; quibus proditoribus sepulera in patria terra etiam
 humanioribus temporibus negata esse, satis constat Vischeri dispu-
 tatione, quam publici juris fecit in mus. rhen. XX. 444—452. Jure
 igitur primores istud contra Polynicem edictum proclaimant. Sed
 icet haec lex etiam cum humanioris illius aetatis sensu concineret,
 querunt tamen, qui majorem vel erga proditores clementiam adhiberi
 civibus suis commendarent. Quorum unus fuit Aeschylus, qui
 propinquitatis leges sanctissimas pluris aestimaret quam scriptas
 civitatis leges. Antigone igitur minime supersedit officio humandi
 cratris, quamvis ipsi subita et praematura mors immineret,
 simulatque cives dictis suis constantes parem incepto poenam
 aut solveret, decreverunt. Nemo vero Thebanorum virginis ad-
 versatus est, quum Polynicis corpus terrae patriae gremio con-
 ferret; quo satis ac super ostenditur poetam Antigones piam
 audaciam tanti aestimasse, ut quamvis antea Thebanorum prin-
 cipes Polynici sepulerum exstrui negassent, tamen comperta
 virginis pietate non amplius irae dediti fingerentur, quum virgo
 et ipsa non sine dei cuiusdam auxilio conamen aggressa esse
 consideretur. Sane Polynices patios deos dehonestaverat, sed jam
 in eo, quod ejus incepsum secus processerat, poena sceleris
 divinitus missa infuit, neque hominibus eae, quibus dii homines

sceleratos affecerunt, poenae amplius augendae sunt⁸⁾). Deinde Thebanis pertimescendum fuit, ne denuo deorum iram in se excitarent, siquidem Antigonem, quominus fratris honoribus provideret, impeditabant; nam, ut vidimus, ob ipsas deorum leges Antigone operae suae supersedere non potuit. Ac nuntius, quem primorum mandata virginibus referret, haud severis verbis usus erat, per quas liceret exspectare, civitatem pium Antigones officium prohibituram esse, sed tantummodo affirmat, Thebanos quippe maxime a Polynice vexatos, eum sepulcro non affecturos esse, nulla tamen addita poena, quam solveret, qui contra hoc imperatum ageret; neque id inconsulte poeta fecisse videtur, sed potius opinari licet, eum omnem statim spem adimere voluisse, cives postea Antigones inobedientiam ulturos esse. Idem fortasse consilium apparebat in nuntii colloquio, quod cum Antigone instituit, quo certam poenam non commemorat, sed in universum virginem periculi commonefacit, in quod irrutura erat contemto primorum edicto. — Vix tamen puto Schneidewini rationem comprobari posse, qua vir doctus (praef. ad Ant. Soph. p. 3) nuntii introductionem explicasse sibi visus est, poetam id respexisse, ut Antigones Ismenesque querelis finis imponeretur, sororesque ad sepeliendos fratres impellerentur; nam imputat ineptias poetae maximo, qui vix ad efficiendam minimi momenti rem talis totius scenae apparatus indigebat.

Ismene interea, dum haec inter Antigonem nuntiumque gerebantur, tacito ore aderat; deinde quum Antigone Polynicis exequias celebratura esset, cum altera chori parte e scena egreditur, iisdem honoribus Eteoclem affectura. Novam poetae mutationem huic quoque rei inesse intellegimus, siquidem istud verum est, quod in tractandis carminibus epicis posui, ambas sorores magis in Polynicis quam Eteoclis partes inclinasse.

8) Gaudeo, quod Schneidewinus in Philologi tom. III, 362 eandem de fine fabulae sententiam protulit; quam tamen legi, postquam haec jam scripta erant.

Cujus mutationis origo posita est in diversis sororum moribus, Antigones enim et verba et facta celerem et audacem animum redolent promptissimumque ad quaevis audenda et toleranda, Ismenes vero placidiorem mentis cogitationumque habitum in eo conspicis, quod primum maxime lugubres domus casus deflet, postea vero, quum primorum jussa referebantur, civium crudelitatem haud objurgat; nec miraberis, quod in Eteoclis funus se convertit, territa urbis decreto. — Dramatis vero exitus quantopere Atheniensibus satisfacere debuerit, vix est, quod moneam; nam celebrationem continet »τῷρ κοιτῶν ρόμων τῆς Ελλάδος«, quos imprimis in Atheniensium civitate coli, gloriabantur incolae urbis Graecarum vere humanissimae. Optimeque concinit finis fabulae Aeschyleae cum Thebaidis epicae exitu, qualis fuisse putandus est, nam gratam imaginem depingunt in utroque poemate auctores post saevissimas pugnas, qua auditorum animi leniebantur, quum discidium fratrum solutum, familiaeque miseriae extinctae esse docerentur.

Sed satis de Aeschylo, jam Sophocles alter poeta tragicus qualem se praebat in excolendo mytho, pertractemus. Mirum in modum profecto eum adauxit, ita ut vere contendere possimus, eum primum cognosse, quanta vis poetica ei insit. Nam nihil omnino addidit, quin aptissimum sit universae fabulae indoli; quod quo melius perspiciatur quam vere dictum sit, necesse est paucis mythi naturam constituere. Jam in carmine epico, cui Thebais nomen erat, Antigone et Ismene eo consilio introducuntur, ut indicetur, sorores ante omnia id respicere, ut discordia, qua Eteocles et Polynices fratres divisi erant, suo ex eadem stirpe genitarum amore leniatur, eo fere modo, quo pictor, si res generis humani ob deteriorem suam speciem ac naturam reconditiores hominumque conspectui minus gratas delineare cogitur, non solas nudasque depingit omnium colorum illecebris, sed aut velamentum quoddam iis superducit, aut alia juxta apponit, quae hominum oculos in se convertant, efficiantque, ut quasi in transcursu spectatorum visus in obscoenioribus imaginis

partibus immorentur. Sequitur igitur post tristissimum fratrum certamen pium Antigones factum, quod ita infigitur audientium animis, ut non solum luctus plenam Oedipodionidarum domum esse, sed etiam jucundiores ejus mythi partes minime desiderari sibi persuadeant. — Quod si transferimus in Sophoclis quam in tragoeidiis exhibet fabulae formam, nonne consentaneum est, ejus indolem plane congruere cum carmine epico, neque varias hujus poetae mutationes diversam mythi naturam efficere? Quem amorem carmen epicum in Polynicem inflatum ostendit, eum summus poeta egregie describit Oedipi quoque patris tristia fata delenivisse, sublevasse, minuisse. In Oedipo rege⁹⁾), qua fabula Sophocles Oedipum nobis monstrat summis quibusque miseriis obrutum, sub finem introducuntur Antigone et Ismene, quae, licet nondum ea aetate sint, qua fieri possit, ut verbis commiserantibus infelicem patrem e calamitatibus erigant, solo tamen amore efficiunt, quo patrem et habebant et ipsae habebantur, ut levamentum accerbissimi doloris ei praesto sit. Cujus amoris optimum monumentum habemus in Oedipo Coloneo. Vix enim sorores infantiam superarunt, sed jam multas aerumnas tolerarunt, summis rerum discriminibus interfuerunt, eo tantum consilio ductae, ut caeci patris vias commodiores redderent, victum necessarium ei pararent, ab illata injuria eum defenserent, ut uno verbo dicam: praestantissimum pietatis erga patrem testimonium posteritati traderent. At factis eam comprobant, quum altera Antigone fingatur senem patrem per omnia

9) Ne mireris, quod viam in tractanda materia ingressus sum, quae abhorrere videatur ab ea, quam initio proposui, ratione, quippe quae temporis, quo singulae fabulae docebantur, nullam rationem habeat. Constat enim Antigonem fabulam priori aetate a poeta compositam fuisse, quam Oedipum Coloneum, nec veri dissimile est, Oedipum quoque regem posteriori poetae aetati adscriendum esse. Sed habet suam excusationem ea, quam sequor, ratio; nam unitas mythi mihi proponenda est, qualem poeta finxit, id quod hac modo ratione fieri potuisse patet, ut ab eo drame exorsus, cuius actiones tempore praecedenter, ad alias fabulas transgrederer, quibus posteriora sororum fata continentur.

pericula comitata esse, Ismene dicatur idem munus suscepisse, simulque ea patri retulisse, quae interea Thebis gererentur, ita ut semper Oedipus mala filiorum reliquorumque propinquorum de se consilia sciret. Atque quam gratum ipsis semper monstrat animum infelix pater, quum satis sibi felicitatis inesse in filiarum ardentissimo amore dicat, quamvis omnibus quibusvis malis premat! Opusne est, nonnullos dramatis locos afferre, quibus hoc comprobetur, quum tota fabula eam ob causam composita videatur, ut arctissimus inter patrem filiasque connexus dilucide appareat? Reminiscaris quaeso verss. 1367 sq.:

Nῦν δὲ αἵδε μὲν ἐκσώζονσιν αἱδὲ ἐμαὶ τροοῖ,

Αἱδὲ ἄνδρες, οὐ γυναικες εἰς τὸ συμπονεῖν.

certe ex his paucissimis verbis elucet, quanti aestimet pater filiarum operam, quamvis alii multo plures loci, qui idem demonstrent, praesto sint. Summi autem momenti ad illustrandam hanc rem est finis fabulae, quo Antigone et Ismene patris mortem conqueruntur, quae flebilis commiseratio nobis non potest non ostendere, quantus patris amissi luctus eas ceperit. Ismenes verba (vv. 1689—1691) nonne demonstrant, majori desiderio mortuorum virginem impletam esse, quam eorum, qui tum in vita versabantur? — Eadem animi vis, ut jam ad alia transeamus, impellit Antigonem, ut patri persuadeat, ne Polynicem, qui supplex venerat, dimittat inauditum, sed ejus preces audiat. Sperat virgo fore, ut reconciliatio fiat inter patrem et filium, itaque dira Apollinis responsa, quae nondum Oedipi domus solverat, ad irritum cadant. Quae spes quantopere et Polynicem et Antigonem fefellerit, constat; sed illud non praetermittendum, jam apparere in isto Polynicis et Antigones colloquio firmum quendam connexum, qui inter istos maxime fratres intercedit. Neque enim sine consilio poeta Antigonem finxisse videtur maxime operam dantem, ut Polynices patri appropinquare possit; idque jam inde elucet, quod Ismenae in hoc colloquio nullae partes tributae sunt. Annectit sic poeta hujus dramatis exitum sequenti fabulae, quae Antigones de fratre suo merita adumbrat, post-

quam res eo pervenit, ut de caede fratrum et ea, quae eam sequebantur, ageretur. Quas res tractaturis nobis id statim occurrit, Sophoclem Aeschyli vestigia premere quidem, sed tamen materiam ex libero suo arbitrio ita disposuisse et conformasse, ut multo meliorem singularum partium concentum efficeret. Aeschylus enim sub finem dramatis, cui nomen »Septem contra Thebas« est, Antigones factum actioni intexit, quare factum est, ut res, quae profecto optimam artis tragicae demonstrandae occasionem praebuit, non omni ex parte perpoliretur; quod vitium a Sophocle ita evitatum esse inter omnes constat, ut illud Antigones factum pro nodo totius dramatis poneret, unde universae compositionis fila deducebantur. Aeschylus quidem Thebarum primores fecerat Polynicis funus prohibentes, Sophoclis vero in hac ipsa re summam admiramus artem, quum apud eum a Creonte tyranno crudele imperium proficiatur. Summo haud dubie jure hanc mutationem in usum vocavit, nam hoc demum modo repugnantia inter Antigones facinus civitatisque instituta, qualia aetate heroica vigebant, exprimitur. Nam rex tum temporis obtinebat summam rerum, ex Aeschyli vero fabula liberam modo civitatem, quae ejus aetati propria est, mente exstruere nobis possumus. Aeschylum omnino in fine fabulae non eam civitatis formam ante oculos habuisse, qualis fuit tempore heroico, ipso dramatis exitu comprobatur, quo Antigone quominus factum perpetret, a nullo Thebanorum magistratu prohibetur; ita ut placidior illa sententia, quae de proditorum humatione in cultiorum hominum animis paulatim coalescere coepit, superet civitatis illam legem, ex qua ejusmodi scelesti homines humari vetebantur. Contra Sophocles eandem quidem, quam Aeschylus, de proditoribus sententiam habuit, attamen heroicae aetatis condicionem ita retinuit, ut Antigone, quippe quae illam legem laesisset, mortem subiret. Simulque ea mutatione effecit, ut diversitas sententiae Creontis ejusque, quam Thebarum cives habebant, in aperto esset. Hanc enim statim initio tragoeiae invenimus in chori canticis, timide

quidem expressam, propterea quod senes Creontis saevitiam metuunt, sed in lucem perductam ab Antigone vs. 509:

Ορῶσι χόντροι, σοὶ δὲ υπίλλονσιν στόμα.

Profitetur eandem sententiam Haemon, eandem Tiresias, qui praeterea eam solam rectam esse, argumentis confirmat. Atque conjunxit quodammodo divinus poeta Thebaidis et Aeschyli fabulas et utriusque vim poeticam, quum et repugnantiae inter legem scriptam et non scriptam locum tribueret, et civium animos prorsus Antigones incepto consensisse demonstret. — Optime deinde poeta virginem Haemonis sponsam fuisse addidit, qua mythi amplificatione et Antigones perseverantia atque constantia et Creontis infausta severitas illustratur, necnon efficitur, ut virginis animi magnitudo, quam vix capere possumus, paullulum leniatur, quum non omnino eam extra vulgares virginum mores egredi videamus, sed intellegamus ex hoc Haemonis amore, acerbitudinem illam, quae nullius pretii vitam ejusque dona aestimat, haud usque quaque virginis mentem tenere. Nam quis ignorat pulcherrimam scenam, qua Antigone, quum mors jam immineat, infelici sortem quaeritur: praematurum exitium sibi destinatum; conjugii, carissimorum infantium sese expertem jam in orcum descensuram; ab omnibus, vel ab ipsis Thebarum civibus sese desertam, quamvis non contra deorum fas peccaverit, sed potius eorum voluntati obsequi studuerit? Neque hanc summam calamitatum esse, immo multo majora ab hominibus enarrari, ab Oedipo enim patre oriundam sese infelicissimam usque eo vitam degisse; patre, matre, fratribus sese orbam, attamen nullam sese misericordiam assecutam esse; qua sorte quid tristius, quid miserabilius extare? Nimirum Sophoclea Antigone a nulla antiquitatis femina adaequatur, quales in poetarum operibus exhibentur, sed morum praestantia, animi magnitudine, mentis castitate omnes superat, quae et est, ut Oedipi verbis supra allatis utar, ἀνὴρ, οὐ γυνὴ εἰς τὸ συμποτεῖν, et egregia virgo, quae in posteriore fabulae parte, postquam munere erga fratrem mortuum functa est, vel maximo dolore corripitur, quod con-

jugium non experta, in quo prima virginis salus posita era ex veterum sententia, e vita decedere cogatur. — Ad ipsum vero Polynicis funus ut redeamus, discessit Sophocles ab Aeschylo eo, quod Thebaidis fabulam in usum suum convertit; non sine jure, ut primo quisque obtutu intellegit. Sola enim Antigone munus fratris humandi subit, quam Ismenen, ut pietatis erga fratrem memor sit, commovere nequeat, quod sane respondet artis legibus; nam quo jure virgines Thebanae sepeliendo Polynici operam navarent, quae nullo propinquitatis vinculo cum illo conjunctae essent, immo quarum acerrimus hostis exstitisset?

Qualis sit Ismene et quod inter ipsam ejusque sororem discrimin intercedat, paucis verbis absolvere possumus, quum de hac quaestione nulla sub judice lis sit, plurimique jam viri docti eam tractaverint. Communis sororibus est maximus patris fratrumque amor, quem ambae satis declarant in duabus, quae de Oedipi fatis agunt, fabulis, communis iis est mira constantia in calamitatibus pro patre subeundis, tolerandis, preferendis; diversitas vero earum oritur in tertia fabula; quanto enim Antigone praestat animi quadam asperitate, tanto Ismene mitiori placidiorique virginis habitu, quae inique quidem fert, sicut consentaneum est, saeva tyranni jussa, attamen iis obtemperat, quum aperte videat, interitum sibi paratum iri, quum primum contemptis iis opus aggressura sit, quod Antigone omnibus impensis perficere voluit. Noli tamen credere, Ismenen omni animi fortitudine carere; initio tantummodo operis virgo pertimescit, ne difficilius sit neve prorsus aptum debilibus virginis viribus; sed simulac facto patrato periculum Antigonae impendens videt, par Ismenes fortitudo est, profitetur, se facinoris consciam participemque fuisse, ne supereretur a sorore animi magnitudine neve ab ea sejungatur. Ac prorsus naturae legibus aptum tale Ismenes ingenium poeta depinxit, nam saepissime in vita hominum cotidiana reperiuntur, qui, antequam laborem perdifficilem aggrediantur, cunctentur ejusque aspectu, ut ita dicam, opprimantur; verum quum primum ad ipsam actionem

pervenerunt, tum omnia experiuntur, navant, aggreduntur, quibus felicem faustumque exitum eventurum esse sperant. — In universum autem qui virginum mores contemplatur, permagna Sophoclis admiratione imbui debet, quia in tribus suis fabulis ex Thebanorum mythorum orbe desuntis virginum mentes sentiendique rationes perpetua descriptione et adumbratione quasi nascentes et crescentes in scenam induxit, imperfectas in Oedipo rege, ad majorem perfectionis gradum elatas in Oedipo Coloneo, perfectas et omni ex parte limatas in Antigone, quod quantum ejus artem demonstret, quum constet, prorsus diversis vitae aetatibus fabulas a poeta confectas esse, vix opus est monere.

Jam ut ex iis, quae de Sophocle disputavi, paucis verbis summam comprehendam: discipulus quidem Aeschyli in mytho tractando fuit. quum eum nodum, quum Aeschylus nexuerat, neque vero ita excoluerat, ut alias praeterea actiones ab eo pendentes faceret, in suum usum converteret, attamen ab illo diversissimum se praebet, quum primus cognoverit Sophocles, quam accommodatus sit ille nodus, cui totius dramatis velamentum circumdetur. Haud minor ejus appetit ars in eo, quod Oedipi fatis sorores intexuit, id quod ante eum nemo fecerat. Sophocles igitur is est poeta, cui haud dubie primas partes tribuere debeimus in hoc mytho perpoliendo, limando, componendo.

Restat, ut perscrutemur, quae opera huic mytho navata sit ab Euripide tertio poeta tragico. Ac duae ejus fabulae hic pertinent, Phoenissae et Antigone, quarum tamen altera nonnisi paucis fragmentis servata est, ex quibus vix ac ne vix quidem, ut postea videbimus, vera genuinaque ejus forma restitui queat. Ac primum videndum, quemadmodum Euripides in Phoenissis mythi de sororibus faciem conformaverit. Occurrit statim ac miratione quadam nos afficit, quod Ismene actioni non modo non inserta est, sed fere nulla ejus mentio fit, qua mutatione perspicue appetit, si quid sapio, quam libenter Euripides mythorum materiam arbitrio suo accommodaverit. Antigonem quoque in ea fabula prorsus aliam in spectatorum oculos

proferri, atque Sophocles et Aeschylus eam fecerant, primo obtutu appareat. Multa quidem eorum, quae Sophocles finxerat, retinuit, ut exemplum proferam, quod Haemonis sponsa fit; sed in hoc ipso appareat Euripidis sentiendi ratio minus elata, quum virgo non juvenis amore capta fingatur, sed Creontis Eteoclisque jussu ei despondeatur, His rebus prorsus apti, a prioribus vero poetis, imprimis Sophocle, diversissimi sunt Antigones, quos exhibet, mores. Apud illum quaecunque virgo perpetrat, perficit tanquam coacta interiori animi motu; nihil considerat, num ex factis suis summa quaque pericula sibi orientur, ne minimum quidem ipsi in mentem venit, alias extare agendi rationes, quas secuta pericula evitare possit, quorum omnium num quidquam invenies in Euripidea Antigone? Quid? quod poeta virginem talia verba loquentem facit v. 1694 (ed. G. Hermanni) quibus demonstretur patri, quanti aestimandum sit virginis consilium comitandi eum:

Ἄλλ’ εἰ γαμοίμην, σὺ δὲ μόνος φεύγοις πάλιν?

vel v. 1700:

Οὕκονν μετασχεῖται καὶ δεῖ τῶν σῶν κακῶν.

quibus verbis sane declaratur, non ex libera animi sententia consilium patris adjuvandi ortum esse, sed profectum potius ex callida et cogitabunda condicionis, cui inerat, consideratione. Quod quantopere poeticam fabulae vim minuat, quum philosophicae cogitandi rationi magis aptum sit, luculenter appetet. Atque convenit hoc prorsus cum Euripidis de feminis sentiendi ratione, quarum mores ab eo fere semper ita conformantur, ut ad vulgaris consuetudinis imaginem expressae esse videantur, magisque recedant ab ea excelsitate atque praestantia, quam priores poetae iis tribuerant. Quod quam vere sit dictum ut exemplo comprobetur, affero chori verba, quae facit vss. 356 sq.:

Δευτὸν γυναιξὶν αἱ διὰ ὀδίτων γοναὶ

Καὶ γιλότεκνον πᾶν γυναικεῖον γένος·

vel ut simile prorsus exemplum virginis vulgari consuetudini idoneae proferam, contemplare, quomodo Euripides Electrae

mores exhibeat in fabula sua prorsus diversos ab iis, quibus Aeschylus et Sophocles eam ornaverant. Neque res alia est, si Antigones mores respicimus; id quod comprobatur versibus supra allatis, vel maxime autem perspicue apparet, quo loco Creontis edicto adversatur, ex quo Polynici funus abnegabatur. Primum enim multa verborum copia tyranno dicit, se fratrem contra ejus jussum sepulturam esse, postea, quum Oedipi sorte moveatur, istud prorsus obliviscitur, ita ut haud sciamus, quid fratri factum sit. Neque illud praetermittendum: per pulchre poeta antea finxerat, Jocasten et Antigonem in ipsam virorum aciem prorusse fratrum certamen prohibituras; at ne illo quidem loco, quo maximam animi perturbationem virgo monstrare omnesque de metu ac pudore cogitationes abjecere debebat, poeta animum induxit, Antigonae paulo elatiores animi affectus tribuere, nam quum Jocaste virginum adhortatur, ut semet sequatur, loquentem facit poeta eam in vs. 1284:

αἰδούμενῷ οὐλον.

Omnino universum cum matre colloquium talem nobis ostendit Antigonem, quae nullam prorsus exhibeat morum similitudinem cum ea, quam Sophocles in scenam induxerat. Quid dicam de Antigonae verbis in vs. 1286:

τί δρῶσα μῆτερ;

quibus se insciam esse fatetur, quonam modo a feminis fratrum pugna dissolvi queat? nam nulla profecto feminis via patebat, nisi ut precibus fratrum congressum prohiberent. — Atque uno tantum verbo attingere liceat primam dramatis scenam, qua Antigone una cum paedagogo scenam introit, Argivorum aciem contemplatura. Simillima haec scena est *τειχοσκοπίᾳ* illi Iliadis, ita ut ad ejus exemplum conformata videri possit, nisi quod in Euripidis fabula paedagogus Antigonae heroes Argivos enumerat, quum in Iliade Helena enarratoris partes agat, id quod jam scholiaстae ad hunc locum annotarunt. Admiramus in hac fabulae parte dulcissimam poetae orationem, quam omnibus dicendi luminibus ac floribus exornavit; sed quid episodion istud in

dramatis contextu sibi velit, vix perspicitur, neque injuria illud supervacaneum esse additamentum eo consilio modo excogitatum, ut paullulum fabulae actiones a priorum poetarum inventis different, viri antiquitatis complures statuerunt, quum in argumento hujus fabulae hoc de illa scena judicium ferrent (ed. G. Hermann p. 4): *ἡ ἀπὸ τῶν τείχεων Ἀντιγόνη Θεωροῦσα μέρος οὐκ ἔστι τοῦ δράματος.* Ac recte Hermannus in praef. ad hanc fabulam pag. 10 sq. ita de ea scena disseroit: »Est igitur hoc ex iis inventis, quae Euripides more suo ex vita communi depromisit; quis enim in obsessa ab hostibus urbe non cupiat oculis perlustrare copias circumpositi exercitus? Ex his quum quemlibet posset, arripuit, quae proxima erat, Antigonem Euripides. Nempe enim choro uti nolebat, ne Aeschylum imitatus esse diceretur.«

His missis jam ad alteram fabulam pervenimus, quam de Antigones fatis composuit Euripides ipsiusquæ virginis nomine insignivit, cuius tamen nihil nisi perpaucæ fragmenta servata sunt, ita ut perdifficilem laborem is suscipiat, qui ejus materiam aliqua cum verisimilitudine constituere conetur. Atque equidem credo, vix ad felicem eventum perduci posse hanc quaestionem, nisi duabus imprimis de hujus fabulae argumento narratiunculis innixi indagare inde studemus, quae mythi forma subjecta fuerit dramati. Primus testis, cui summam ut auctoritatem tribuamus, jam nominis auctoritate cogimur, Aristophanes Byzantius in argumento ad Antigonem Sophocleam haecce tradit: *Κεῖται ἡ μυθοποϊία καὶ παρ' Εὐριπίδῃ ἐν Ἀντιγόνῃ πλὴν ἐκεῖ φωρα-θεῖσα μετὰ τοῦ Αἴμονος δίδοται πρὸς γάμον κοινωνίαν καὶ τέκνον τίκτει τὸν Μαίονα¹⁰⁾.* — Eadem narratio redit sub finem scholiorum, quae in codice Laurentiano ad cognominem Sophoclis fabulam ascripta sunt: *Αἰαχέρει τῆς Εὐριπίδου Ἀντιγόνης αὕτη, διὰ φωραθεῖσα ἐκείνη διὰ τὸν Αἴμονος ἔρωτα ἐξεδάθη πρὸς*

10) Dindorfio auctore (ed. Oxon. 1860) cod. Laurentianus habet *Αἴμονα*. At maluerunt recte viri docti *Μαίονα*, quum istud nomen nusquam Hæmonis filio tribuatur, atque mutatio, ex qua *Μαίονα* pro *Αἴμονα* legitur, levissima sit.

γάμον, ἐνταῦθα δὲ τούτωντοι. — Atque merito huic Aristophanis alteriusque grammatici narrationi eam fidem habuit Boeckhius in graec. trag. princ. 269 sq. ut Euripidei dramatis exitum non lugubribus casibus refertum censeret, sed potius nuptias Antigones Haemonisque ibi referri statueret; cui alii viri docti adstipulati sunt. At prorsus contrariam sententiam Welckerus protulit in libro: Die griechischen Tragoedien, II, 563—572, quo loco uberior de hujus fabulae argumeuto agit et ex variis, quae servatae sunt, reliquiis summa actionum linea-menta colligere sibi proposuit. Putat enim iste vir vix imputari posse ejusmodi fabulam huic praeclaro poetae, quum universa mythi conformatio maxime claudicet, atque praesertim Creontis mores, qui per omnes fere poetas tyrannum redoleant, adeo evanescant, ut non viri constantis, sed effeminati mulierum amatoris esse videantur. Nam haec Aristophanis verba si se-quamur, eum idcirco minime sibi constare, quia Antigone et Haemon, regis propinqui, auctoritatem regni laeserint; sed con-sentaneum esse, ob ipsam propinquitatem Creontem eos etiam graviore poena afficere debuisse. Sed proficiscitur ille vir doctus a praejudicata sententia, quum eosdem Creontis mores, quos in Sophoclis Antigone habet, huic Euripidis quoque fabulae proprios esse debere contendat, quod per se patet minime necessarium esse. Nam licet in ultima Phoenissarum parte ille vir tyranni mores exhibeat, quum Oedipum, qui jam longum tempus Thebis lugubres suos casus defleverat, ex patria expellat, crudelissimumque contra Polynicem se ostendat, tamen vel maxime providum eum videmus suo ipsius generi, quum in colloquio cum Tiresia habito supplicibus precibus vatem adeat, ut silentio obruat illud, quod vaticinatus erat, Menoeceo mortem a diis destinatam esse. Quod quum impetrare non posset, easdem apud Menoeceum preces repetit, ne voluntariae morti se praeccipitem daret, neque acquievit, donec juvenis patri promisisset, se in aliena aliqua terra vitam sustentaturum esse. At quanto luctui se dedit, quum a filio se deceptum esse vanis promissis ex nuntii

verbis comperit, qui referebat, patriam gloriosa Menoecei devotione ab hostibus liberatam esse! Certe hac occasione non is est Creon, quem sub finem dramatis in Antigonem ejusque patrem saevire vidimus. Quae modo assecuti sumus, si transfers in Euripidis Antigonem, nonne mihi assentiris, pares Creontis mores effici ista Aristophanis fabula omnique ex parte congruentes cum iis, quos Phoenissae exhibent? Eundemque Creontem in Antigone a poeta exhiberi, quem in Phoenissis, jam eam ob causam facile mihi persuadeo, quod ipse Phoenissarum exitus Antigones fata in dubio relinquunt, quorum spectatores cupidissimos fuisse inde sequitur, quod praeclarissima Sophoclis fabula hanc mythi partem mirum in modum excoluerat. Quod desiderium Euripides minime contemnere potuit, nisi periclitari vellet, ne omnis populi Atheniensis favor sibi detraheretur; eique obsecutus est ita, ut Antigonem in conspectum proferret eo ipso temporis momento, quo una cum Haemone, cuius amore capta erat, locum pugnae perquisivit investigatura caesi fratris corpus. Sed in ipsa humandi actione a custodibus, quos Creon eo loco collocaverat, deprehensi et ante regis tribunal tracti sunt. Ac potuit tum rex gravissimis minis eos obruere, potuit filii inobedientiam acerbissimis verbis castigare, sed ultra hos fines eum progredi haud patiebatur ipsius filii crimen; neque enim potuit Antigonem suppicio afficere, nisi filium virginis amantis simum una cum ea mortem subire voluit. Fuit fortasse illud in spectatissima hujus dramatis scena, ut Creon Antigonem mortem minitaretur, quippe cuius major sceleris perpetrati culpa esset, quibus auditis Haemon patrem supplex primum oraret, ut Antigonae parceret, deinde quum haec secus procederent, patris consilium ita labefactare studeret, ut vehementissimis dictis pronuntiaret, semet ipsum e vitam decessurum. Potuit jam, quo credibilia Creonti fierent filii verba, e scena Haemon egredi factisque verba adaequare velle: qua in re Creon, ne ambos filios perderet, intercessisse putandus est. Semper enim id tenendum est, Creontem non eum esse, qui in stabilienda

confirmandaque regni auctoritate summum vitae consilium ponat, sed eum potius, qui ante omnia familiae saluti provideat et consulat, ne unicus sibi filius iniquo quodam fato detrahatur. Jam Haemoni concedit, Antigonem mortis non damnatum iri, neque tamen inde sequitur, ut Haemoni licuerit virginem in matrimonium ducere, quod Aristophanes nobis tradit. Quod ut perficeretur, dei fortasse auxilio opus erat, quem usum Euripidem valde amasse, quum ex eis, quae superstites sunt, fabulis satis notum sit, non ita audax conjectura est in hoc quoque dramate usurpatum fuisse. Ac possumus in hac quaestione accuratius explicanda Welckero assentiri, qui Herculem has partes gessisse conjicit, quia secundum alios mythos iste heros Megaram, Creontis filiam, in matrimonium duxerat, quare facilius Creontis socii animum mitigare et mutare potuit. Minime vero, quod Welckerus vult, eum fabulae exitum si statuimus, Creontis moribus nimium quoddam detrahitur, quum idem sit, qualem in Phoenissis invenimus. Neque quod poena Antigones desideratur, justam viris doctis offensionis ansam praebere debuit, nam voluit sane Creon, si recte conjecti, eam suppicio afficere, at prohibitus est filii arctissimo cum virgine nexu. — Quod vero Welckerus Hygini mythographi latini fabulam 72. qua virginis fata alio modo adumbrantur, ad constituendum Euripidei dramatis argumentum in usum convertit, non recte actum mihi videtur; nam pugnat ea cum Aristophanis verbis, quod quo planius appareat, affero illam fabulam: »Creon, Menoecei filius, edixit ne quis Polynicen, aut qui una venerunt, sepulturae traderet, quod patriam oppugnatum venerint. Antigona soror et Argia conjux clam noctu Polynicis corpus sublatum in eadem pyra, qua Eteocles sepultus est, imposuerunt. Quae quum a custodibus deprehensae essent, Argia profugit, Antigona ad regem est perducta. Ille eam Haemoni filio, cuius sponsa fuerat, dedit interficiendam. Haemon amore captus patris imperium neglexit et Antigonam ad pastores demandavit ementitusque est, se eam interfecisse. Quae cum filium procreasset et is ad puberem aetatem venisset, Thebas

ad ludos venit. Hunc Creon rex, quod ex draconteo genere omnes in corpore insigne habebant, agnovit. Cum Hercules pro Haemone deprecaretur, ut ei ignosceret, non impetravit: Haemon se et Antigonam conjugem interfecit; at Creon Megaram filiam suam Herculi dedit in conjugium». — Totam quidem fabulam nullo modo cum Aristophanis verbis congruere patet, sed ut unum ex multis proferam, quomodo pro Haemone, qui Antigonem adjuvisse dicitur a grammatico, substitui potest Argia? Jam haec una maxima discrepantia satis est ad refellendam Welckeri opinionem. Nec me movet, quod Welckerus ex fragmentis eandem mythi formam instaurasse sibi visus est; nam ea ratione sententiam meam non labefactari, ex ipsa rei natura appetat, propterea quod semper latissimus divinandi et conjectandi campus ei aperitur, qui ex paucis reliquiis, quae diversissimis fabulae partibus inspersae erant, genuinam argumenti in fabula tractati formam eliciendam sumsit. Neque enim ulla in conjungendis membris divisis et disjectis ratio pro certa evinci potest, sed id modo quaeritur in ejusmodi experimentis, quae ratio imprimis veri similitudini respondeat; quod num cadat in Welckeri quae exstruxit summa lineamenta fabulae Euripideae, equidem dubito, propterea quod cum expressis Aristophanis verbis pugnant.

Atque haec hactenus! Exspectat fortasse quis, me eundem laborem in ceteris quoque poetis tragicis et Antimacho, quem poetam epicum ne uno quidem adhuc verbo tetigi, collocaturum esse, idque fortasse haud immerito; quam curam ut remitterem, commovit me illud imprimis, quod fere nulla horum omnium fragmenta praesto sunt, quibus ut fundamento usi certi aliquid constituere possimus. Nec minus alia res mihi obstare videbatur, quominus incepturn laborem latius persequerer. In iis enim fabulis, quae insequentibus temporibus de hac mythorum parte confectae sunt, Ismene altera sororum magis magisque a loco, quem obtinuerat, recessit, substitutaque ejus loco Argia, Polynicis uxor, est: id quod vidimus in Hygini fabula factum

esse, quam ex poeta tragico graeco posterioris temporis haustam
esse, haud injuria plerique viri docti statuerunt. Sed has feminas
ut persequar, quomodo celebratae sint, abhorret a proposito;
quare satius habeo, in iis, quae assecutus sum, subsistere.

Sententiae controversae.

I.

Theophrasti characteres quominus pro veris mimis habeamus, id quod Astius voluit, jam definitiones singulis capitibus praefixaes prohibent.

II.

In *Ανσχερείας* descriptione ab eodem scriptore confecta, quae continetur cap. XIX, primum codicis P. Vat. additamentum ita legendum censeo: *Καὶ οὐκ εἴναι δάδιον, ἄλλον εἰς τὸ γένος ὑποβάλλεσθαι.*

III.

Sententia, quam de Oedipi oratione in Sophoclis Oedipo rege v. 216—275 Ahrens proposuit in conventu Philologorum Herbipolensi (Verhandlungen der XXVI Versammlung deutscher Philologen und Schulmänner, Würzburg 1868, pag. 160 ff.), Oedipum ibi scelerum suorum haud nescium a poeta fingi, probari non potest.

IV.

In Oedipo tyranno verba vers. 227 sq. ita legenda esse censeo Halmium secutus:

*Κεὶ μὲν φοβεῖται τούπικλημ' ὑπεξελεῖτ
αὐτὸς καθ' αὐτοῦ* etc.



V.

Injuria Siebelis in editione Pausaniae ab ea conjectura, quam primus Sylburgius protulit plurimique viri docti probarunt, ex qua legendum est in l. IX, 9, 3 pro *Καλαῖνος Καλλίροες*, recessisse videtur.

VI.

In Taciti annalium l. IV, 11 sub finem legendum puto Nipperdejum secutus: Mihi tradendi arguendique rumoris causa fuit, ut claro sub exemplo falsas auditiones depellerem peteremque ab iis, quorum in manus cura nostra venerit, ne divulgata atque avide accepta veris neque in miraculum corruptis antehabeant.

VII.

In describendis et dijudicundis ingenii doctibus Pyrrhi Mommsenus injuria ei rerum ad politicas res partinentium notitiam et cognitionem abnegavit.

VIII.

Johannes Prutz, qui vulgarem opinionem, Fridericum I, Germanorum imperatorem omnium ducum principumque consensu creatum esse, refutare conatus est, veram suspicionis causam non protulit.

MAR 12 1874

